





Gymn.
8
h
4°

<36637639010010

MITTHEILUNGEN
AUS DEN
HANDSCHRIFTEN DER RITTER-AKADEMIE
ZU BRANDENBURG A. H.

II.
IACOBUS DE CESSOLIS.

BEIGEGEBEN

DEM XXIII. JAHRESBERICHT UEBER DIE RITTER-AKADEMIE


VON

DEM DIRECTOR

PROFESSOR DR. ERNST KÖPKE,
DOMHERRN DES EVANGELISCHEN HOCHSTIFTS ZU BRANDENBURG.

1879. PROGR. No. 59.

BRANDENBURG A. D. HAVEL.
DRUCK VON GUSTAV MATTHES.



Qui integro et incorrupto iudicio eum quem subiunximus librum de moribus hominum et de officiis nobilium penitus perlegerit, is illius scriptorem, de cuius patria non constat, Lombardum genere fuisse recte coniecisse sibi videbitur.

Nomen suum scriptor ipse in prooemio, si non nostri codicis, libri tamen anno MDV editi commemorat cum dicit: *Ego frater Iacobus de Cessolis.* Codex Monacensis lat. 538. in prologo quidem, omisso gentili nomine, Iacobi tantum praenomen servavit, sed in epilogo haec leguntur: ***Ego frater Iacobus de Cesulis ordinis fratrum praedicatorum*** c. Layardus, qui litterarum historiam Francogallicarum a Benedictinis inceptam continuavit, vol. XXV[1] Cessolorum gentem aliquam Nicaeae in Italia exstitisse saepiusque in patria sua magistratibus functos esse Cessolos docet. De nomine igitur nulla est dubitandi causa; firmatur etiam illud non solum vetusto libro Mediolani a. 1479 typis edito, sed consensu etiam multorum codicum manu scriptorum, quos Antonius van der Linde[2], vir clarissimus et de historia scachorum ludi condenda longe meritissimus inspexit, contra alias aliorum librorum inscriptiones obtinetur. Nihil igitur curamus de variis eiusdem nominis formis, quae per librariorum ignorantiam in codices irrepserunt. Germanica versio habet Cassalis, editio Ultraiectina anni MCDLXXIII de Thessalonia; alias nominis discrepantias affert Ioecherus in Lexico hominum doctorum, qui de Casulis, de Tessalis, de Thessalia, de Thessalonica scriptorem cognominatum fuisse monet.

Ut vero Iacobum de Cessolis Lombardum fuisse existimarem, multae fecerunt, quas ipse in libro suo prodidit, significationes, inter quas non minimum valet et quod in describenda Babylonia Lombardicis utitur mensuris iuxta Francogallicas, et quod nullum aliud scachis ludendi novisse videtur genus, nisi quod a Nicolao de Nicolai Lombardo inventum regula Lombardica appellatur. Quod vero plurimum valet, amplissimam habet et plane singularem rerum Lombardicarum notitiam. Qua in re non dico de narrationibus, quas ex Pauli Diaconi historia repetivit, sed de iis, quae de mercatore quodam, Oberto Guterino Astensi natione (p. 23), de nobili quodam „in Lombardiae partibus apud Parmam" hospitio recepto (p. 27), de Ioanne Cavaza, homine parum provido, (p. 29) protulit; dico de querelis, quas de temporum suorum iniuriis effudit. Ubi enim detrimenta conqueritur, quae sua aetate res publica ceperit: „Nullum hodie, exclamat (pag. 19), Lombardis tam est nocivum collegium, quam notariorum", et alio loco (pag. 13): „Sed heu hodie Lombardos ubique bella premunt, ad quae non arma seu missilia ac iacula ferunt, sed proditiones, dolositates, fraudulentiae quotidie succrescunt, hostes proterunt, nulla lex, nulla fidelitas; nulla iuramenta, nulla pacta custodiunt homines, et vassalli contra dominos insurgunt, naturalia fugientes dominia quaerunt

---

[1] Parisiis apud Didot. a. 1869. [2] Gesch. & Litterat. des Schachspiels. Berlin, Springer. 1874. vol. I. Beilage. pag. 19 ff.



libertati deservire et vilissimorum servi effecti dominos naturales prodidisse suspirant.“ Cur et unde ista, si non esset Lombardus ipse? Lombardum hominem significant etiam Italico sermone prolata illa, quibus pro proverbiis utitur Iacobus: *chi sè per altro laxa* (al. *per altrui cascia* pag. 29), *sia ammazzato di questa mazza* et *cortexia* (al. *honore* pag. 26, not. 36) *de boca assè vale e poco costa.* Homo natione Francogallus non est dubium quin Francogallica allaturus fuerit proverbia.

Errant igitur Iacobus Quétif et Iacobus Echard, qui in [1]Scriptorum Ordinis Praedicatorum recensione, quod unde habeant et qua ratione obtineant non video, Iacobum de Cessolis Gallum Remensem faciunt.

Scribunt enim: „F. Iacobus de Cessolis vel Cessulis, qui etiam Cezolis et Cessolis scribitur Gallus Remensis sacrae theologiae magister sub finem seculi XIII vel initia sequentis claruit egregius concionator et moribus hominum iuxta cuiusque statum formandis in primis attentus et incumbens. Nomen suum posteris commendavit opere, quo nullum seculo XIV et sequenti fuit celebrius et cui titulum indidit: De moribus hominum et de officiis nobilium super ludo scacorum. Incipit prologus cet. — — Meminerunt Laurentius Pignon n. 114: „*F. Ioannes* (mendum est Cod. Victor. pro Iacobus) *de Teriace de conventu Remensi fecit moralitates supra ludum Schaccorum.*“ Ubi nuncupat de Teriace, nempe a patria Gallice *la Tierache* peritioribus Latinis *Teoracia*, aliis *Tirascia*, qui tractus est Galliae in Picardia provincia Campaniae fines attingens et dioecesis Laudunensis. Item Ludovicus a Valleoleti n. 72: *F. Iacobus de Cessulis fecit librum in quatuor partes distinctum de moribus hominum et officiis nobilium exponendo moraliter ludum Schaccorum.* Emendandi hic veniunt, primo Trithemius, a quo dicitur *de Thessalonia* corrupte, quod hinc ortum non dubito: nimirum quum in codd. MS. seculi XIII et sequentium similia sint elementa C et T, ut proclive sit alterum pro altero sumere, norunt periti et experti: Itaque videns ille *Cessolis* legit *Tessalis*, hincque suum *de Thessalonia* finxit: Lusitanus errorem excipiens eundem hominem in duos divisit, alterum *de Cessolis* ad 1295, alterum de *Thessalonia* nuncupans et huius aetatem omittens. Idem imitati sunt sequaces Possevinus et nostrates ad Altamurum, qui primum ad 1291, alterum ad 1460 pro libito collocat. Unicum autem cum hactenus huius rationis visum sit opus, et unicum esse auctorem certum habeas. Innumeri sunt in bibliothecis codd. MS. — Gallice reddidit Ioannes Ferron, de quo postea ad 1347, et Ioannes Duvignay Hospitalarius S. Iacobi de Alto passu, de quo iam pluries circa 1348, qui Ioanni tum Normanniae duci, postea Franciae regi I, ad cuius instantiam hanc versionem susceperat, nuncupavit. Extat cet. — Typis etiam prodiit Latine hoc titulo: *F. Iacobi de Cessolis ord. FF. Praedic. liber de moribus hominum et officiis nobilium super ludos Schaccorum.* Mediolani fol. par. 1479. Quae editio in Regia, laudata a Labbeo Antiq. lect. p. 352. Est etiam apud nostros Antverpienses. Hinc scilicet ex editionis loco Beughemius Lombardum opinatus est leviusculo argumento, quem Gallum e Terracia ortum et domus nostrae Remensis alumnum supra praestitit Laurentius Pignon. Sermones varii eidem ascribuntur a Trithemio, quos forsan viderit: nam alia ei ascripta se non vidisse monet.“

Hactenus Francogalli isti viri docti. Quae in exordio huius commentarii monuerunt, Iacobum de Cessolis egregium fuisse concionatorem moribusque hominum formandis et emendandis praeter ceteros incubuisse, ea ex hoc ipso eius libro verisimili quadam coniectura assecuti esse videantur. Sed si Laurentii Pignonis testimonium de Ioanne quodam de Teriace recte correxisse et iure ad Iacobum de Cessolis retulisse se arbitrantur, in eo mirum quantum falluntur, et vehementer vereor ne temeritati suae nimis indulserint, si quidem similitudine aliqua, quae intercedit inter vocabula Cessolis et Cessières, hodiernum

[1] vol. I. p. 471. b. Paris. 1719.



vici cuiusdam in Picardiae Terascia siti nomen, in errorem se induci patiebantur. — Fratrem quendam Ioannem de Teriace ex conventu Remensi moralitates super ludo scachorum conscripsisse, non est cur negem. Duo enim homines vel plures etiam uno fere eodemque tempore atque unius praedicatorum ordinis in idem argumentum commentationis incidisse, facile credendum est. Sed propter hanc studiorum cognationem duo isti homines in unum quasi conflari et confundi minime debebant. Iacobus enim de Cessolis longe alius est atque Ioannes de Teriace. Perverse igitur faciunt qui Quetifii et Echardi Francogallorum allucinationes sequentes Iacobum Gallum Remensem nuncupant et conventus Remensis alumnum fuisse contendunt. Laurentius Pignon narrat de Ioanne de Teriace, nos de Iacobo de Cessolis.

Ut de patria eius nihil constat, ita ne de aetate quidem quidquam pro certo affirmari potest.

Sed si verum est, Conradum de Ammenhusen, qui carmen suum, quod inscribitur Schachzabelbuch, a. MCCCXXXVII absolvit, ex Iacobi de Cessolis libro argumentum hausisse, multaque germanice vertisse, et Fratrem Ioannem Ferron Parisium a. MCCCXLVII nobili cuidam Gallo, Bertrando Aubery, et Ioannem de Vignay hospitalarium circa a. MCCCCXVIII Ioanni Franciae regi suam versionem libri Cessolani inscripsisse, tum Iacobum ipsum vel initio seculi XIV vel exeunte seculo XIII floruisse existimandum est. Quae temporum definitio aliquatenus eo firmatur, quod monumenti cuiusdam a Friderico II Imperatore Capuae positi ut recentis mentionem facit Lombardus, et funesti illius quod historici vocant interregni memoria commotus regnum hereditarium multis laudibus ita commendat, ut electicio quod dicunt longe praetulisse videatur. Itaque a vero vix aberrabimus, si altero seculi XIII dimidio eum natum et a Gibellinorum partibus inter Italos stetisse coniciemus.

Inter scriptores, quos laudat F. Iacobus de Cessolis, proximi aetati eius sunt Helinandus, qui ex ordine Cisterciensium seculo XIII Sigeberti Gemblacensis Chronicon descripsit et ad suam usque aetatem continuavit,[2] et Philippus Gualterus de Castellione, poëta latinus, qui carmen epicum de rebus ab Alexandro gestis initio seculi XIII composuit,[3] et Petrus Alfonsus, medicus Hispanus, qui ex Iudaeo Christianus factus, dialogos contra Iudaeos circa annum MC conscripsit.[4] Summa vero auctoritate apud Iacobum de Cessolis fuisse videtur Ioannes Sarisberiensis, qui Autrici episcopus anno MCLXXX mortuus est. Huius enim non solum totum orationis sonum et stilum imitatus est Cessolanus, ita ut poëtarum versibus sermoni intermixtis quasi luminibus simplicem docendi rationem distingueret, sed plane iisdem etiam narratiunculis legentium animos et allexit et delectavit praedicator. Ioannis librum, qui inscribitur Polycraticus sive de Nugis curialium et vestigiis philosophorum, duobus tantummodo locis idque omisso quidem scriptoris nomine, sed per Nugarum Philosophorum titulum laudat (pag. 16 et 24). Saepissime vero tacitis et auctoris nomine et libri inscriptione eaedem narratiunculae, quibus scatent hominis Angli Nugae, proferuntur a Lombardo. Plerasque earum, quae in editione Ioannis Sarisberiensis Oxoniensi, a. MDCCCXLVIII ab I. A. Giles curata leguntur in voluminis III. pag. 45. 204. 210—213. 227. 245. 287. sq. 302 et in vol. IV. pag. 14. 58. 81. 166. 197. 303, iisdem fere verbis ab Iacobo de Cessolis repetitas reperies, eas tamen ita coartatas, ut hunc ex illius Polycratico exscripsisse et in suum usum convertisse libentius, quam utrumque eodem ex fonte hausisse putes.

Sed ad haec legentium animos convertere satis sit; angustiae enim et temporis et spatii huic commentariolo concessi, ut tandem ad ipsum Iacobi librum veniamus, admonent.

---

[1] Büschings Neue Erdbeschr. II. p. 391. 5. Aufl. 1704. [2] Tissier, Biblioth. Cisterc. vol. VII. [3] Hamberger, Zuverläss. Nachrichten. IV, 308. [4] Hamberger, IV, 23.



In bibliotheca nostra Codex chartaceus quaternaria forma maiore asservatur, qui initio seculi decimi quinti videtur descriptus esse. Continet ille XXXI folia numerata linearum XXXIII, litteris initialibus et singularum paragraphorum siglis rubro colore pictis et interpunctionibus maiusculisque aliquot litteris minio apposito distinctis. Sed eadem manu ut in verborum contextu ita in emendatis et adnotatis non ineleganter scriptus, codex tamen pessime habitus est a tineis et uligine. Illae non solum lignea opercula, quibus cod. MS. tectus est, arroserunt, sed etiam ab initio primum et a trigesimo ad ultimum usque folia exederunt; uligo, vel si mavis aqua folio 23 averso superfusa illud fere totum eluit, ut nisi obscura scripturae vestigia et pallidae verborum umbrae vix quidquam remanserit et in adversis foliis 23 et 24 pauca tantummodo expedite legi queant. Praeterea folium 23 inter abstergendum et exsiccandum, quod infelici manu efficere aliquis aliquando tentavit, a superiore margine ad tricesimam primam lineam usque discerptum aliisque locis perforatum est.

Hunc codicem *C* significavimus. In eius anticam paginam folii 31 desinit liber F. Iacobi de Cessolis; postica est vacua, sed a summa parte a tineis exesa adeo ut qui lacunas papyro superobducto obtegere studuerit, legentibus gratum se esse facturum existimasse videatur. Sed fusci glutinis sorde omnia ita sunt commaculata, ut epitaphia nec Petrarcae nec beati Ieronymi, quorum utrumque eadem manu atque universus liber descriptum est, prorsus legantur. Quae enucleari poterant, haec habe:

Eo . . . . . funus Roma fu (vel st) . . . . die furialibus . . . .
Epitaphium petrarce [lacuna] Francisci lapis hic tegit ossa petrarce
. . . . virgo parens . . . . . scite virgine parte
. . . . Iam terris celi requiescat in arce.
Epitaphium beati Ieronymi Qui sompnum nescit Ieronymus hic requiescit.
minus sufficit primus . . . . Ieronymus inclitus . . . .
qui valde compendiosus est. perfide f . . . . vite parte future.

Supra haec homo quidam multo recentioris aetatis et inscitae manus atramento magis nigrato in scribendis litteris singulis vel in pingendis digitis monstrantibus sese exercuit. Ex novissimis his exercitiis et nomen Frederici cuiusdam et verba haec clarius elucent: anno millessimo quinquagessimo nono.

Propter lacunas aliaque scripturae vitia, in quae inter legendum librum ipsum incidi, necesse videbatur, si qui mihi obtingeret, aut librum editum aut codicem aliquem MS. cum nostro *C* conferre.

Carolus Halmius, vir egregius et de litteris plus uno nomine meritissimus ex bibliotheca Monacensi mihi et librum a. MDV Winterthurii, si *hibernam arcem* recte interpretor, editum et cod. MS. lat. 538. 4. min. benigne commodavit. Librum, quem cum codice nostro C maximam partem concordantem reperi, E signavi. Cum vero inter usum libri quatuor folia plagulae E signatae deesse viderem, liberalitatem Ottonis de Heinemann, viri clarissimi adii, qui eundem librum ex bibliotheca Guelferbitana (G) ad me misit. In codice Monacensi (A) eleganter scripto pictisque figurarum imaginibus exornato longe plurima ampliatione quadam orationis magis circumscripta, quam pure ac sincere descripta et singulae narratiunculae aliunde depromptae, huc inculcatae et refectae leguntur. Sed ille codex non unus videtur esse, qui librariorum manu interpolatus est. Nam noster quoque codex C et liber typis editus E multa habent, quae et dicendi genere adeo a ceteris differunt et ex adulterina quadam doctrina tam insipienter ac perverse genuinis obtrusa sunt, ut spuria ea esse et insiticia facile sentias. Sinceram et integram scriptionem reddidisse videtur versio Germanica, qua ex bibliotheca regia Berolinensi ut uti possem,

Richard Lepsii, summi viri benevolentia factum est. Inscribitur ea: dis buchlin weiset die auszlegung des | Schachzabel spils | Und menschlicher sit | ten, Auch von den ampten der edeln et Argentorati anno MCDLXXXIII typis mandata est. Incipit versio: Ich bruder Jacob von Cassalis prediger ordens, bin überwunden worden von der brüder gebet wegen und der weltlichen studenten und ander edeler leut die mich haben hören predigen das spil das do heiset schachzabel, das ich do von gemacht hab dis buch, und hab das bracht zu nutz menschliches geschlecht. Und hab es geheissen das buch menschlicher sitten und der ampt der edelen. An dem buch hab ich vorgesetzt wie manig teil das buch hab, und wie manig teil ein ieglich capitel hab, darumb daz man dester leichter find dar in was einer sucht und haben will. — In fine leguntur haec: Hie endet sich die auszlegung des schachzabel spils, Und auch menschlicher sitten, Auch von den ampten der edlen dar in kurtz begriffen seind vil hübscher exempel dar durch ein ieglich mensch wol lernen mag zucht und tugent auch wie sich ein ieglicher amptmann halten sol in seinem ampt und wesen u. s. w. Getruckt und volendet von heinrico knoblochzern in der hochgelobten stat Straszburg uff Sant Egidius tag. In dem LXXXiij Jor. u. s. w.

Viris illis, quorum beneficio ac subsidio quae sequuntur pagellae edere mihi contigit, publica hac occasione data gratias ago quam maximas.

Liber de moribus hominum et [1]officiis nobilium. [2]Incipit solatium ludi scachorum s. [3]regiminis ac morum hominum et officiorum virorum nobilium, quorum si qui formas menti imposuerint bellum ipsum et ludi virtutem corde faciliter poterunt obtinere. Tractatibus autem quatuor lector noverit opus istud esse distinctum.

Tractatus primus [4]de causa inventionis ludi scacorum. Capitulum primum, sub quo rege ludus inventus fuerit. Capitulum secundum, quis ludum [5]invenerit. Capitulum tertium de triplici causa [6]ludi.

Tractatus secundus [7]de formis scachorum nobilium. Capitulum primum de forma regis et de iis, quae ad regem pertinent. Capitulum secundum de forma reginae et moribus eius. Capitulum tertium de forma alphilorum, officiis et moribus eorum. Capitulum quartum de militibus et officiis et moribus eorum. Capitulum quintum de forma [8]rochorum, officiis et moribus eorum.

Tractatus tertius [9]de formis et officiis popularium. Cap. primum de agricola [10]sive agricultura. Cap. secundum de [11]operariis fabrorum. Cap. tertium de lanificis et [12]operariis seu notariis. Cap. quartum de mercatoribus et [13]campsoribus. Cap. quintum de medicis et pigmentariis. Cap. sextum de tabernariis et [14]hospitia tenentibus sive herbergatoribus. Cap. septimum de custodibus civitatis, officialibus communitatis, pedigiariis. Cap. octavum de prodigis et ribaldis, lusoribus et cursoribus.

Tractatus quartus [15]de motu et progressu eorum. Cap. primum de scacario in genere. Cap. secundum de progressu regis. Cap. tertium de progressu reginae. Cap. quartum de progressu alphilorum. Cap. quintum de progressu militum. Cap. sextum de progressu rochorum. Cap. septimum de progressu popularium. Cap. octavum de [16]epilogatione praedictorum.

[17]Inter omnia mala signa in homine unum est, [18]quando aliquis homo non timet Deum per culpam et homines offendere [19]*cupit* per inordinatam vitam, quia non solum correctiones negligit, sed correctores affligit; quemadmodum de Nerone imperatore legimus, quod ipse Senecam magistrum suum occidit, eo quod increpationes ipsius ferre non posset. Tempore enim Evilmerodag regis Babyloniae, hominis lascivi iniusti crudelis, qui patris corpus [20]in trecentas partes divisit, et trecentis vulturibus tradidit ad comedendum, hic ludus inventus est [21]de moribus hominum et officiis nobilium. Hic enim rex inter omnia alia mala unum habebat pessimum, quod correctores suos occidebat et increpatores [22]oderat, quod stultissimum est. [23]Hic

---

[1] *officiis* exesum a tineis. [2] E. (editio anni 1505.) *Incipit prologus in librum Magistri Jacobi de Cessolis: quem de Scachis edidit. Ego frater Jacobus de Cessolis, multorum fratrum ordinis nostri et diversorum secularium precibus persuasus dudum munus requisitum negavi, ut transcriberem solatii ludum Scachorum videlicet regiminis morum ac belli generis humani documentum. Sane cum illum ad populum declamatorie praedicassem multisque nobilibus placuisset materia, honori eorum et dignitati curavi ascribere exuens eos, ut formas ipsorum menti imprimant, ut sic bellum ipsum et ludi virtutem corde tenus possint facilius obtinere. Hunc autem libellum de moribus hominum et officiis nobilium, si placet, intitulari decrevi. Et ut in eo ordinatius procedatur, ante ipsum Capitulum proposui ut quod in eo sequitur plenius elucescat. Tractatibus autem quatuor opus ipsum lector eius noverit esse distinctum. Sequitur Capitulum in quo tantum ostendit, de quo velit determinare et quot sint tractatus et capitula huius libri. Tractatus primus cet.* A. (Monacensis codex lat. 538. 4°. min.) *Multorum fratrum nostri ordinis et diversorum secularium precibus persuasus dudum munus requisitum negavi ut transcriberem solacii ludi scachorum videlicet regiminis morum ac belli humani generis documentum. Sane cum illud ad propositum exclamatorie praedicassem multisque nobilibus placuisset materia, honori eorum ac dignitati curavi ascribere, monens eos ut si forte formas ipsorum suae menti impresserint libellum ipsum et ludi virtutem corde poterunt facilius obtinere. Hunc autem libellum de moribus hominum et de Officiis nobilium simplicitate intitulari decrevi. Et ut ordinatius procedatur in eo, ante ipsum opus capitulare proposui ut quod in eo sequitur plenius elucescat. Incipit libellus sive tractatus de moribus hominum et de officiis nobilium sive exposicio scachorum editus a supradicto fratre Jacobo. Per quatuor tractatus opus istud noverit lector esse distinctum. c.* [3] *regiminis* ex AE, C *regis.* [4] A *est de c.* [5] fere exesum a tineis. [6] A *inventionis ludi praedicti.* E *inventionis.* [7] A *est de f.* [8] fere exesum. [9] A *est de f.* [10] A *et pastore.* [11] A *de operibus fabr.* [12] A *cansoribus.* [13] A *mensuratoribus.* [14] A *de albergatoribus.* Cet. des. [15] A *est de pr. et m.* [16] E *Epilogatio pr.* [17] E *Incipit tractatus primus huius libri de causa inventionis Scachorum Primum capitulum sub quo rege sit inventus.* [18] E add. *praecipuum.* [19] ex A addidi. [20] AE add. *Nabuchodonosor.* [21] AE *quem de moribus hominum et officiis nobilium in prologo intitulari decrevi.* [22] A *odiabat.* [23] E *Hujc — pater suus Nabuch.*

similabatur patri suo Nabuchodonosor, qui dum sompniasset et evigilans non recordaretur, [1]voluit occidere omnes sapientis Babyloniae, eo quod nec ipsum somnium regi poterant indicare, ut legitur in [2]Daniele propheta. Opinantur autem [3]*aliqui*, hunc ludum inventum [4]fuisse tempore belli Troiani. Sed hoc non habet veritatem. Nam a Chaldaeis ad Graecos transivit, ut dicit Graecus [5]Diomedes, qui inter philosophos primo famam inter Graecos accepit et [6] propemodum Alexandri magni regis temporibus tam Aegyptum quam partes australes orbis fama occupavit. Quare vero in mundo sic famosus extiterit in sequenti tertio capitulo nos dicemus.

[7]Omnis ludi ac novitatis inventor extitit philosophus quidam orientalis, nomine Hyerses apud Chaldaeos, [8]Philometro apud Graecos, quod idem est apud Latinos quam mensurae vel [9]iustitiae amator. Huius hominis fama apud Graecos et Athenienses in tantum inclaruit, ut postmodum multi probi philosophi et scientiae amatores hoc a progenitoribus suis nomen acciperent. Tantae enim iustitiae extitit, ut mori potius eligeret, quam simultatem sequens in deliciis regalibus spreta iustitia [10]vitam finire. Nam cum philosophus videret detestabilem vitam regis et nemo eum culpare auderet propter eius crudelitatem, quam in hominum sapientium [11]nece ostenderat, rogatu populi [12]neglecta vita morti se exposuit malens pro iustitia vitam [13]finire quam ad modicum tempus eam ducere brutis moribus [14]infamatam. Quod idem [15]effecit, ut dicit Valerius Maximus, Theodorus Cyrenaeus, qui fuit affixus cruci pro eo quod regem Lysimachum pro suis obscenis et iniustis actibus increpare ausus est, qui cum [16]in eculeo crucis penderet dixit regi: Tuis consiliariis purpuratis sit haec poena quam timent; mea siquidem nihil interest utrum humi an sublimi putrescam. Voluit dicere, quam [17]parum curabat de ipsa morte et mortis modo, dum tamen innocenter et pro iustitia moreretur. Legimus etiam [18]Demetrium philosophum sibi oculos eruisse, ne videret bene esse malis civibus et iniustis. Socratem quoque legimus ad mortem [19]properantem et uxore post eum flendo dicente, innocentem eum damnatum, respondisse: Tace, inquit, melius me mori innocentem existimes, quam propter culpam diem extremum claudere. Sic etiam huius modi novitatis inventor pro tuenda iustitia morti se exposuit et vitam praesentem contempsit.

[20]Causa autem inventionis huius solatii fuit triplex. Prima fuit regis correctio, secunda otii evitatio, tertia rationum subtilium multiplex inventio. Circa primam sciendum est, quod praedictus rex Evilmerodag cum vidisset hunc ludum et multos milites ac barones et duces cum dicto philosopho bellicose ludere, miratus ludi pulchritudinem et insueti solatii novitatem, interesse voluit, ludum discere desideravit ac cum dicto philosopho ludendo bellare decrevit. Quod cum philosophus [21]vidisset, [22]hoc non posse regem facere nisi prius formam discentis assumeret [23]responso, rex hoc esse congruum dixit et discere cupiens formam discipuli in se [24]omnimode suscepit. Tunc philosophus formam [25]tabularii ac scachorum, ac mores regis [26]nobilium et popularium et officium eorum [27]*describens*, ut in sequentibus capitulis declarabimus, eum ad correctionem et morum ac virtutum informationem [28]attraxit. Ea propter, audiens correctionem suam, propter quam [29]multos sapientes occiderat, comminatorio praecepto philosophum interrogavit dicens, quare hunc ludum invenisset? Cui respondit: O domine mi rex, tuam vitam gloriosam desidero, quam videre non possum, nisi iustitia et bonis moribus [30]insignitus a populo diligaris. Opto ergo te alium fore [31]regimine, ut tibi prius domineris, qui non iure aliis sed violentia dominaris. Iniustum quippe est ut aliis imperare velis, cum tibi ipsi imperare non possis, et memento violenta imperia diu durare non posse. Haec ergo tuae correctionis causa una extitit. Patienter enim reges sapientum suorum correctiones ferre debent et ipsos correctores libenter audire. Quemadmodum de Alexandro dicit Valerius. Quidam enim miles Alexandri nobilis et opinione maximus, volens eum increpare quod nimia desideraret maxime circa honores, dicit ei: Si dii nostri corpus tuum, quod est parvum, aviditati et desiderio animi tui fecissent parem, orbis totus te capere non posset, quia manu dextra tangeres orientem.[32] Cum ergo corpus tuum non respondeat animo, aut tu es deus aut homo aut nihil. Si tu es deus, certe tu deum debes imitari ut hominibus beneficia tribuas, non sua eis [33]capias. Si vero homo es, mortalem te considera ut desistas. Si vero nihil es, hoc memento ut tu tui ipsius [34]obliviscaris. Nihil tam firmum est, cui non sit periculum ab invalido, et leo rex bestiarum quoque minimarum avium pabulum fit. Secunda huius inventionis causa fuit otia evitare, de quo dicit Seneca ad Lucilium: Otium sine litteris mors est et vivi hominis sepultura. Et Varro dicit: Quod viatores non eunt ut eant, sic et vita non sui causa fit, sed [35]ut in ea praeclarum

---

[1] E add. *sompnii.* [2] E *libro Danielis prophetae.* [3] ex AE [4] É *esse.* [5] E *Dyamedes,* A *Dyomedes.* [6] E *postea Alexander magnus temporibus.* [7] E *Capitulum secundum primi tractatus. Quis ludum invenit.* [8] A *Philometon,* E *Philometor.* [9] Sic AE, C *infancie.* [10] Sic AE, C *mortem finiret.* [11] A *nece,* EC *necem.* [12] In cod. ab alia manu suprascriptum est *contempta.* [13] Ex AE, C *ferre,* alia manus in marg. corr. *finire.* [14] Ex AE, C *infamatum.* [15] E *effecit,* A *fecit,* C *effieri.* [16] C *in equileo.* [17] E *parvum.* [18] C *de metricum,* E *Democritum.* [19] E *properanti et uxorem post eum flendo descendentem. Innocentem eum dampnatum respondisse. Tace c.* [20] E *Capitulum tertium primi tractatus de triplici causa inventionis ludi Scachorum.* [21] E *respondisset.* [22] E *hic.* [23] E *respondit rex hoc esse congr.* [24] A *omnino.* [25] AE *tabulerii,* C *stabularii.* [26] A *et reginae.* [27] ex E. [28] E *subtilius.* [29] E *iam.* [30] Sic E, C *insignitam.* [31] C in margine. [32] AE add. *et sinistra occidentem.* [33] E *eripias,* A *arrip.* [34] A *non obl.* [35] E *ut ea.*



aliquid fiat, et ideo hic principis ludi inventor non solum invenit ut regem corrigeret, sed ut otium et tristitiam ex otio creatam vitare doceret. Consueverunt enim multi prae nimia abundante fortuna otio se dare, unde Quintilianus dicit, quod ad omne votum [1]*fluente* fortuna lascivit otium. Et ideo saepe necesse est, ut in facinus ardor otiosus erumpat. Ex tali etiam otio [2]creatur amaritudo animi nimia, quo iucunditas spiritualis extinguitur, et quasi desperationis [3]praecipitio mens in se ipsa subvertitur. Et quia per hoc solatium otium et tristitia evitantur, ideo propter haec evitanda ludum hunc Hyerses seu [4]Philometor invenit. Tertio quia unusquisque naturaliter appetit scire et audire novitates, unde legitur de Atheniensibus, quod ad hoc studebant ut scirent vel audirent aliquid novi. Et quia [5]visus corporalis quandoque multa impedit cogitare subtilia, ideo [6]Demetrium philosophum legimus sibi oculos eruisse ut [7]vegetatiores et acutiores cogitationes haberet. Multi enim debiles visu corporis vel carentes corporea visione in inventionibus acutiores fiunt, sicut patet de Didymo Alexandrinae civitatis episcopo, qui carens visu tantae fuit intelligentiae ut discipulos habere [8]meruerit Gregorium [9]Nazianzenum et Hieronymum Romanae ecclesiae presbyterum cardinalem. Qui cum iam incepissent [9*] sub aliis magnis viris doctoribus aliorum esse doctores, sub schola Didymi Alexandrini inceperunt esse discipuli, propter cuius [10]intellectus altitudinem legimus magnum Antonium Eremitam ipsum Didymum episcopum visitasse et inter consolatoria verba dixisse, si dolebat Didymus oculorum visum perdidisse. Cui cum respondisset Didymus: [11]miror si non credis me dolere, respondisse fertur Antonius: Immo, pater, miror te hoc dolere perdidisse, quod in corpore habebas commune cum bestiis, cum recolis te habere in mente, quod habes commune cum angelis. Ob hoc ergo huius solatii inventor mortis anxietate [12]pressus ac extra corpus effectus sensibilium et rerum palpabilium factus obliviosus ad mentem se contulit, ludum variarum et innumerabilium [13]rationum plenum invenit. Propter multitudinem rationum et variarum similitudinum ac ingenia bellorum in eo decertantibus famosus fuit.

[14]Rex sic formam accepit a principio. Nam in solio positus fuit purpura indutus, quae est vestis regalis, in capite coronam, in manu dextra habens sceptrum, in sinistra habens pilam rotundam. Nam super alios obtinet et accipit dignitatem, quod praetendit corona capitis. Nam gloria populi est regalis dignitas; ad regem enim oculi omnium attendere debent et suis obtemperare et parere mandatis. Inter ceteros, immo supra ceteros debet virtutibus et gratiis enitescere, quod ostendit regalis purpura. Sicut enim corpus pulchris vestibus decoratur, sic et interior mens et anima moralibus virtutibus tanquam quibusdam vestitur habitibus. In manu sinistra pilam defert, ut totius regni administrationem attendat et se administratorem et per suos vicarios provisorem consideret. Verum quia ad eum pertinet coercere quos amor non retinet, in dextra manu portat sceptrum [15]iustitiae. Misericordia et veritas regem custodiunt et stabilitur iustitia thronus eius. In eo debet lucere clementia et misericordia, de qua dicit Seneca ad Neronem Imperatorem: Nullum ex omnibus [16]clementia magis quam regem et principem decet. Qui enim vult amari languida regat manu. Et ideo Valerius dicit quod humanitatis dulcedo etiam [17]efferata barbarorum ingenia penetrat et crudeles hostium oculos emollit. [18]Pisistratus Atheniensium dux cum iuvenis quidam amore suae filiae virginis esset accensus et captasset locum et tempus quo [19]ipsi virgo transiret cum matre, et iuveni obvia facta esset, virginem iuvenis osculatur; [20]mater vero virginis nimium [21]turbata cum a patre virginis, duce videlicet, supplicium capitale de iuvene postulasset, dux Pisistratus respondit: Si eos, qui nos amant interficiemus, quid iis faciemus, quibus odio sumus? Haec enim vox de ore principis ex humanitatis radice et clementia manavit. Et in hunc modum filiae tulit iniuriam et multo laudabilius suam. Hic quoque amicum habuit [22]Arispum nomine, qui [23]tanta ira ac voce verborum procacitate [24]exarsit, ut in ipsius faciem spueret [25]ac princeps sic animum vocem et gestum ab ira cohibuit, ut non [26]putares eum suscepisse vel audisse iniurias sed laudis honores. Filios etiam suos violatae patris maiestati subvenire cupientes a vindicta retraxit. [27]Postero autem die Arispus considerans culpam, quam in principem commiserat, se ipsum voluntarie perimere voluit. Quod audiens [28]Pisistratus ad illum accessit deditque illi fidem et firmavit iuramento se in eodem amicitiae pristinae gradu mansurum et sic eum ab incepto homicidio revocavit. [29][Quidam philosophus duas dominas habens in domo, quas induebat splendide

---

[1] ex AE, C *votum fortuna lasci otium.* [2] AE *causatur.* [3] E *principio,* C *praecipitato,* A *praecipicio.* [4] C superiore loco habet *Philometro.* [5] A *usus.* [6] C *Demetricum,* E *Democritum,* A *Dyometricum.* [7] Sic E, CA *lege taciores.* [8] E *invenit.* [9] C *Nazarenum,* E *Nazanzenum.* [9*] Post *incepissent* dolovi *esse,* quod in CE iteratur. [10] E *intellectum et ingenii altitud.* [11] C *amor,* AE *miror.* [12] E *plenus,* A *praesus.* [13] Sic AE, nisi quod in ea *decertantium* legitur. C perverse: *innumerabilium Romanorum et variarum similitudinum ac ingenia bellorum in eo decertantibus famosus fuit.* [14] E *Incipit tractatus secundus de formis Scachorum nobilium. Capitulum igitur primum de forma regis et moribus eius.* [15] A *iustitiae et rigoris. Salomon Et quia c.* E *iustitiae et rigoris. Et quia mis. et veritas regem custodiunt et stabilitur iust. thronus eius In eo debet lucere clementia et misericordia.* [16] C *magis quam clemencia regem et princ. decet.* A *nulla virtus ex omnibus decet magis apud regem et principem quam clementia.* E sic ut nos. [17] Sic E, C *affactaca.* [18] C *Philistarcus,* E *Pysitarcus,* A *Phisistratus.* Cf. Valer. Max. 5, 1. ext. 2. [19] E *ipsa,* A *ubi illa virgo c.* [20] C *matre.* [21] C *conturbata et a patre,* E *turbata et cum a patre.* [22] E *Arisyppum.* [23] AE *qui contra ipsum ira ac voce et verb.,* A *coecitate,* E ut nos. [24] AE *in tantum exarsit.* [25] E *at.* [26] C *putaret.* [27] A *altera.* [28] C *Philaistarcus,* A *Phixistratus.* [29] uncis inclusa desunt in AE. — CE paulo infra habent *mulieribus — conqueremini.*

et pascebat, eis more muliebri conquerentibus dicebat: Quid murmuratis et tractatis et iugiter conquerimini? Quid vobis deficit? Illae vero de solario emiserunt super philosophum, legentem sub solario, multum brodium fetidum, quod diu conservaverant in magno vase. Philosophus vero in nullo turbatus ait: Bene sperabam, quod post tanta tonitrua pluvia sequeretur.] [1]Et quam mitis fuit animus Pyrrhi regis, qui cum audisset quosdam Tarentinos in convivio multa et [2]diffamatoria de se dixisse, et accersitis omnibus qui in convivio interfuerant, quaerere coepit, an de se talia protulissent inhonoribilia. Tunc unus ex eis respondit: Nisi, inquit, nobis vinum defecisset, haec quae tibi relata sunt, prae iis, [3]quae de te locuturi eramus, ludus fuissent et iocus. Tam urbana crapulae excusatio, tam simplex veritatis confessio regis iram vertit in risum. Et ideo hac clementia et moderatione assecutus est, ut et sobrii Tarentini regi gratias agerent et ebrii bona interpretarentur. — Veritatem in corde et ore semper attendat et falsa labia detestetur, iuxta illud:[4] Veritatem meditabitur guttur meum et labia mea detestabuntur impium. Cum enim ratione officii deo quodammodo sit similis, ipse autem deus sit ipsa veritas in se, in eo omne verbum verum sit, ut quod promittat, [5]omnimode attendat. Et ideo dicit [6]Valerius Maximus, quod cum Alexander cum suo exercitu ira permotus iret cum magno impetu ad quandam civitatem [7]Lampsacum diruendam et evertendam, civis autem illius civitatis esset [8]Anaximenes philosophus, qui fuerat magister Alexandri, audiens regem Alexandrum sic venire, civitatem exivit ut regi preces porrigeret pro salute civitatis. [9]Quod cum rex hoc cerneret, ne postulare volentem materiam haberet audiendi, rex in loquendo praevenit philosophum iuramento, dicens: Iuro per deos, quod nihil eorum, quae petiveris, faciam. Tunc philosophus sapienter attendens [10]iuramentum respondit: Peto igitur, domine, ut Lampsacum civitatem nativitatis meae diruas et disperdas. Quam postulationem attendens Alexander salutem urbi concessit; maluit enim iram et voluntatem, quam habebat contra civitatem [11]dimittere, quam contra iuramentum venire, et ita salus urbis unius iuramenti beneficio obtenta est. Quintilianus dicit, quod iurare nisi ubi necesse est gravi viro i. e. nobili viro et famoso parum convenit; verbum enim satis simplex in rege vel principe firmius sit quam iuramentum in mercatore. — Debet etiam impietatem detestari. Difficile mihi videtur pium hominem impia morte perire et [12]crudeles homines crudeli supplicio [13]*legimus* interemptos. Nam refert Orosius, quod quidam Perillus nomine [14]et metallorum artifex, credens complacere [15]Phalaridi tyranno crudeli, qui Agrigentinos depopulabatur et exquisitis tormentis [16]cruciabatur, fecit taurum aeneum magnum et in latere fecit ostiolum, per quod immitterentur damnandi morte ut ita supposito igne cremarentur, cumque introclusi vociferarent [17]prae poena, non videretur vox humana sed feralis et ex hoc minus Phalarides ad pietatem moveretur. Cum autem opus factum munus crudelitati [18]aptum regi Phalaridi praesentasset, rex opus laudavit, inventorem autem exsecrans dixit: In te [19]primitus [20]excipies et probabis quod mihi crudeli tu crudelior praesentasti. Nam ipsum artificem sua inventione [21]punivit, nulla enim [22]res aequior est quam necis artifices arte perire sua ut dicit Ovidius. — In eo debet esse iustitia. Quid enim sunt regna sine iustitia nisi magna latrocinia, quia et latrocinia quaedam sunt regna et ideo refert Augustinus de Civ. Dei, quod erat quidam [23]Diomedes nomine, qui una galea mare infestabat capiens homines et exspolians. Cumque multis temporibus sic transeuntibus fuisset infestus, nunciatum est regi Alexandro, quod cum Alexander [24]intellexisset, parari fecit diversas galeas et Diomedem iussit insequi et captum sibi praesentari mandavit. Cumque hoc factum esset, interrogavit Alexander Diomedem dicens: Quare te habet mare infestum? respondit Diomedes: Propter quod et te [25]orbis terrarum, sed quia id facio uno navigio, latro vocor; quia vero tu hoc idem facis magna classe, diceris imperator. Sed si fortuna mansuesceret, fierem quoque melior. [26]At contra tu, [27]*quo* fortunatior tanto deterior eris. Alexander respondit: Fortunam tibi mutabo — ut non ascribatur fortunae malitia tua sed meritis. Et sic factum est, ut qui prius erat pirata maris et latro, fieret princeps [28]et iustitiae amator et mirabilis. Continentiam carnis [29]rex maxime debet habere, quod repraesentat una sola regina, quae sedet a sinistris eius. Credibile namque est, ut cum rex bonis moribus pollet et [30]multis actibus nitet, quod filii, qui ex eo nascuntur, eosdem mores sequantur. Degenerare autem non debet a patre filius, sed considerare ut a quo accepit naturam, imitetur et mores. Nam contra naturam aliqualiter facit rex et homo quilibet, [31]*cum* relicta uxore aliam superducit. Nam in omnibus animalibus et avibus maxime patet; ubi masculus habet curam de filiis, masculus uni soli iungitur, sicut manifestum est in columbis [32]et c., in quibus tam masculus quam femina prolem nutrit. [33]In quibus autem masculus non nutrit prolem, in illis masculus indifferenter accedit ad multas feminas, ut patet in gallo. Et quia homo inter cetera

---

[1] AE *aeque etiam fuit mitis.* [2] E *infinita infamatoria.* [3] E *qui.* [4] A *dicit Ecclesiastes.* [5] A *commode.* [6] Lib. VII. cp. III, ext. 4. [7] AEC *Lapsacum.* [8] CE *Anaximanes,* A *Anaximandres.* [9] E *Quod rex cernens.* [10] *regis iuram.* [11] E *potius dim.* [12] A *impios.* [13] Ex AE. [14] AE *aeris et metall. opifex.* [15] A *Phalandi,* et postea *Phalandes, Phalandri.* [16] E *cruciabat.* [17] A *pro.* [18] A *actum.* [19] E *primum.* [20] A *experies.* [21] E *per vim.* [22] AE *lex.* [23] AE *Dyonides.* [24] C *intellectum,* E *Qui parari fecit.* [25] Ex AE, C *orbem.* [26] C *ac.* [27] Addit ed. [28] E *et iustitiae mirabilis amator.* Idem A sed om. *mirabilis.* [29] om. E. [30] E *iustis.* [31] ex AE. [32] AE *passeribus et avibus similibus.* [33] C *ideo indifferenter accedit ad multas feminas ut gallus, qui pullos non nutrit et ideo ad multas gallinas accedit et quia homo c.* Similiter A: *de gallo et aliis, qui non nutriunt pullos. Ideo ad c.*

animalia maximam curam habet de filiis educandis, hereditandis, honorandis, ideo contra naturam [1]*facere* videtur, quando spreta uxore aliam superducit. De hac continentia refert [2]Valerius, quod Scipio Africanus, sic vocatus quia Africam devicit, cum esset [3]de magno genere, aetate XXIIII annorum et in suam potestatem redegisset urbem Carthaginem et inde multos obsides accepisset, inter quos cum oblata ei esset virgo eximiae pulchritudinis adultaeque aetatis, ut [4]suis frueretur amplexibus, iuvenis princeps ac [5]caelebs victor, postquam scivit eam desponsatam uni Carthaginiensi, Indibili nomine, [6]celeberrimae gentis nobilissimo, fecit vocari parentes puellae, quibus virginem et sponsam [7]et inviolatam tradidit et intactam, aurum etiam quod pro [8]receptione puellae exportatum fuerat, dotis summae adiecit, qua continentia et munificentia dictus Indibilis, sponsus virginis, animos omnium nobilium gentis suae Romanis applicavit. Et haec de rege dicta sufficiant.

[9]Forma autem reginae sic instituta fuit. Nam [10]super solium collocata est domina quaedam pulchra cum corona in capite [11]deaurata, vestimento et chlamyde circumamicta varietate. A sinistris collocatur regina propter maritales amplexus, unde in canticis: Laeva eius sub capite meo et dextra illius amplexabitur me. Est autem a sinistris regis collocata per [12]gratiam, quod regi donatum est per naturam. Nam melius est reges habere per successionem primogeniturae quam per electionem vel principum voluntatem. Saepe enim principes diversis causis intervenientibus discordes fiunt, et dissidentibus voluntatibus necesse est aut electionem tardari aut propriis utilitatibus intendentes personam regis in electione non meliorem aut digniorem eligere, sed utiliorem propriis commodis affectare. Qui vero per ordinem primogeniturae ad dignitatem regalem [13]ascendunt, necesse est educatos esse bonitate et moribus, ac iustis actibus, quibus rex genitor [14]informatur; et necesse est [15]principes timere movere discordiam in regno, cum vivente rege natum primogenitum considerent regnaturum. Reginam vero castam [16]morigeratam sapientem honestis parentibus natam, in nutritura filiorum esse sollicitam necesse est. Sapientia vero eius apparet non solum in gestibus sed etiam in verbis et maxime, quando contra naturam mulier secreta secrete in corde conservat, conferens in corde et aliis denegat aperire. Mulierum enim natura communis est male celare secreta. Et hoc dicit Macrobius in libro de somno Scipionis, quod puer quidam Romanus, nomine Papirius, semel patri iunctus intravit in [17]senatum Romanorum, ubi quoddam secretissimum est habitum consilium, quod non licebat alicui revelare sub poena supplicii capitalis. Dumque puer Papirius redisset domum et mater interrogaret, unde venisset et quo iret, respondit puer, se interfuisse consilio senatorum cum patre. At illa: Quae et qualia egerunt patres in senatu? Cui ille: Non est licitum dicere, quod sub poena capitis ne reveletur per consules est decretum. Mulier avidior audiendi secreta et silentium pueri modo precibus modo minis et terroribus animi pueri [18]in diversa inclinare desiderans, in quantum potest, everberat. [19]Cumque illa poenis nimium puero [20]*esset* molesta, levis consilii mendacium accepit et ut poenam effugeret et tamen secretum teneret, actum in senatu dixit, utrum melius sit [21]*ut* unus vir duas haberet, aut quod una pluribus nupta sit. Quod cum illa haec audivisset et filium monuisset ut nemini diceret hoc secretum, illa statim in secreto ad ceteras matronas retulit et in tantum factum est, ut romanae feminae omnes hoc secretum ut publicum haberent. Postera autem die omnes confluunt ad senatum, orantes ut una potius duobus fieret quam uni duae. Senatores vero quae esset intemperies mulierum et quid sibi haec postulatio vellet mirabantur [22]*et* unde proveniret prodigium; pavebant enim verecundi sexus illam impudicam insaniam, tunc puer Papirius [23]in senatu dicit, quod timore [24]mortis manus effugere matris cupiens hoc mendacium invenisset, ut secretum consilii publicare non posset. Tunc senatores multum commendaverunt ingenium pueri et statuerunt ut nullus puer in posterum praeter Papirium cum patribus ad consilium accedere praesumeret, quem semper senatui interesse [25]voluerunt. — Castam et honestam decet esse [26]*reginam*, ut [27]*cui tantum* confertur ex gratia. Honeste omnibus [28]*et* caste vivendi sit forma, unde refert Hieronymus contra Jovinianum, quod Duellius nobilis Romanus, qui primus Romae navali bello certando triumphavit ac hostes vicit, Yliam nomine virginem [29]ducit uxorem, quae fuit tantae pudicitiae, ut illo tempore, quo in continentia monstrum potius erat quam vitium, in exemplum caste viventibus fieret. Hic Duellius iam senex et tremens corpore in quodam loco audivit ab aemulo exprobrari sibi os fetidum. Cumque domum se tristis contulisset ac uxorem questus esset, quare hoc sibi non dixerat

---

[1] Ex AE. [2] Lib. IV. cp. III. 1. [3] AE *Romanus genere,* C *cum esset genere,* eadem manu *de magno* suprascriptum est. [4] E *in suis c.* [5] E *celeber.* [6] AE *celstibrine,* legendum *celtiberinae.* [7] A *sponsam virginem intactam et inviolatam.* [8] AE *redemptione — ei* (A *sibi*) *port.* [9] E *Incipit secundum Capitulum secundi tractatus de forma reginae et officiis et moribus eius.* [10] C *si sola.* [11] AE *deaurato.* [12] Sic E, C *per quod regi donatum per gratiam naturam.* Sed si contuleris germanicam versionem „*das sie hab von genaden das er hat von natur,*" excidisse tibi videbitur: *ut habeat per gr.* [13] C *ascendit,* A *ascendunt, est necesse illos esse educatos et bonitate in omnibus ac iustis actibus, quibus c.* [14] A *informavit.* [15] A *quod principes timeant movere c.* [16] Sic E, C *moriginatam.* [17] E *senatum sapientum Rom.* [18] E *in adversa.* [19] A *Cumque illa poena puero sic fuerit molesta, levis mendacii in se consilium accepit ut.* [20] Ex E add. [21] Ex AE. [22] Inserui ex AE. Legitur ibi: *et non ut parvae rei prodigium.* [23] E *intrans in senatum dixit.* [24] AE *matris manus effugere cupiens.* [25] Ex A, C *miserunt.* [26] Ex AE add. [27] Ex E add. [28] Ex E add. [29] E *duxit.*



ut [1]hoc vitio mundaretur, illa respondit: Fecissem hoc [2]libenter, nisi putarem omnibus hominibus sic [3]osculum olere. Laudanda in utroque nobilis et pudica femina, et si ignoravit vitium viri et si patienter tulit et quod maritus infelicitatem corporis sui non uxoris fastidio sed prius convicio sensit inimici. [4]Alia vidua quaedam cum eam quidam propinquus moneret, ut alteri nuberet, allegans ei esse aetatem integram et faciem et pulchritudinem bonam, illa respondit: Nequaquam hoc faciam; si enim virum bonum invenero ut antea habui, nolo timere ut perdam, si malum, quid necesse est post bonum pessimum sustinere. Sic et castitatem servare melius ipsa decernit. [5]Refert Augustinus in libro de Civ. Dei quod fuit Romae Lucretia nomine nobilissima moribus et genere, cuius maritus [6]Collatinus nomine, qui imperatoris Tarquinii Superbi filium Sextum nomine ad [7]videndum castrum suum nomine [8]Collatium invitavit. Qui cum fuisset ingressus, ibidem vidit Lucretiam inter multas nobiles matronas sedentem. Cumque regis filius animum convertisset ut mores maturitatem et gestus Lucretiae revolveret, prae nimia pulchritudine corporis tactus malo libidinis amore capitur et observato tempore cum rex a Roma abesset et Collatinus Lucretiae maritus cum rege ad exercitum isset, Sextus filius regis ad castrum Collatini viri Collatium, ubi Lucretiam viderat, cum sodalibus suis ivit, ibique cum ab ea honorifice receptus fuisset et tempus quo homines quiescere solent advenisset paratumque esset filio regis secundum eius decentiam, [9]ille hospes, hostis prius, considerato loco, ubi Lucretia quiescebat, cum omnia tuta sopitique omnes essent, in cubiculum Lucretiae clam intravit. Sinistra manu eius oppresso pectore et dextra manu gladium tenens dixit: Tace, Lucretia, [10]Sextus sum Tarquinii Superbi filius; ferrum in manu est, si emiseris vocem. Illa prae somno stupefacta tacuit. Tunc ille mulieris animum nunc promissis nunc terroribus et minis inclinare nititur ad consensum. Cumque ipsius animum velut cor marmoreum invenisset, adiecit: Nisi mihi consenseris, servum tuum, iugulatum prius, nudum corpori tui nudo et iugulato in hoc tuo cubiculo sociabo, ut fama per urbem discurrat, [11]ut stupri causa, quam cum servo tuo commiseris, quisque noverit te iugulatam. Tunc illa timens huius mundi magis infamiam quam mortis poenam, coacta et invita consensit. Cumque regis filius expugnato mulieris decore recessisset, illa postera die ad patrem et fratres suos et Collatinum maritum atque ad Brutum nomine proconsulem, ipsius Tarquinii nepotem litteras ex suo nomine destinavit, ut statim sine mora ad eam veniant. Cumque omnes adessent, illa prolocuta est [12]sic: filius regis Tarquinii heri domum meam intravit hostis pro hospite. Tu autem, Collatine, scias vestigia viri alieni in lecto tuo esse. Verumtamen corpus quidem violatum, animus tamen [13]iustus est, unde a culpa me absolvo, a poena autem non libero. Qui autem hoc fecit et si in meum detrimentum hoc fecerit, in suum tamen erit, si vos viri estis. Et ne aliqua impudica exemplo Lucretiae [14]vivat, quae accipere voluerit [15]exemplum in culpa, non negligat exemplum de poena. Et ideo gladium, quem veste occultatum tenebat, [16]exemit et se ipsam propria manu [17]transverberavit sicque moribunda cecidit. Tunc proconsul Brutus et Collatinus maritus eius, pater et fratres omnesque amici gladium, quo se peremit, accipiunt iurantque [18]super sanguinem Lucretiae nunquam cessare, donec progeniem Tarquinii de Roma expellant ac non permittant de illa progenie aliquem Romae regnare in posterum. Quod et factum est, nam corpus mortuae Romam deferunt et populo tantam seditionem faciunt ut [19]Tarquinius exulare [20]cogatur apud Ardeam, quae iuxta Gabios sita est. Sextum vero criminis actorem gladio peremerunt. — Mores quoque debet habere maturos, ut in regina sit [21]omnis timor et verecundia. Nam mulier verecundia perdita statim perdit pudicitiam, unde dicit Symmachus: Quorum mens honesta est, imbecilla est [22]frons. Et Ambrosius: In ipso quoque corporis decore verecundia plus nitet. Mulierem super omnia verecundus ac modestus aspectus plus reddit amabilem; qui etsi [23]in viro laudatur, magis tamen relucet in femina. Refert Seneca, [24]quod Arcesilaus quidam nomine tantae fuit verecundiae, ut amico suo pauperi et paupertatem dissimulanti, aegro quidem nec hoc confitenti, clam et latenter sacculum pulvinari cum pecunia supposuerit, non attentans prae verecundia amico dicere ut acciperet, desiderans magis pauperem invenisse quam accepisse. Interdum enim ille, qui iuvatur, fallendus est, ut habeat nec a quo accepit sciat; res enim loquitur nobis tacentibus. — Eligenda uxor est, quae sit honestis parentibus orta, ut plurimum enim [25]feminae mores earum feminarum sequuntur, a quibus traxerunt originem. Unde legitur, quod quidam uxorem ducere volens, accepit super hoc consilium a quodam philosopho, qualem uxorem ducere deberet; ille respondit: Illam uxorem matrimonio ducas, cuius

---

[1] AE *huic vitio* (A *se*) *mederetur.* [2] E *inquit.* [3] E *os,* C *culum* suprascript. ead. manu. [4] Hoc exempl. deest in E, adest in A. [5] C in margine: *Augustinus libro de civitate dei XI. Valerius li. VI de pudicitia ca.* 1. *Ovidius li. II de fastis. Titus Livius libro primo. Idem Petrarcha li. III de destruccione Affricae.* [6] A *Colantius,* E *Colacianus,* C *Colatrinus.* [7] Sic AE, C *iudicandum.* [8] E *Colatum,* C *Colatrum.* [9] E *ille non hospes, sed hostis prius.* [10] Sic AE, C om. *Tarquinii.* [11] E *Lucretiam ob stupri causam, quam cum servo commisit quisque noverit iugulatam.* C ut nos edidimus, nisi quod *causam, iugulatum* habeat. *te* suprascriptum. A *quod Lucretia ob stupri causa.* [12] A *Sextus filius regis,* E *Filius regis Sextus Tarquinius.* [13] E *insons,* A *innocens.* [14] A *vivat, ex culpa non negligat exemplum poenae accipere,* C *veniant.* [15] E *exemplo ex culpa non negligat exemplum ex poena.* [16] A *extraxit,* C *extiterit,* E *exemit.* [17] A *transfixit.* [18] A *super ipsum iuramentum per sanguinem L., quod n. cessarent — expellerent — permitterent.* [19] C *Tarquilinius.* [20] C recte *cogatur,* alia manus eb suprascripsit, ut *cogebatur* legeretur. [21] C *omnino.* [22] A *flos,* C *quorum mens honesta est imbecilla mens est frons.* E ut nos dedimus. Nonne *inhonesta* legendum? [23] AE, C *etsi vero.* [24] A *quod quaedam, domina Arcesilla fuit,* E *Archesilla,* C *Archer illa.* Cf. Sen. de Benef. II, 10. [25] AE *filiae.*

matrem et aviam noveris esse pudicas. Talem enim filiam existimo, qualem matrem cognovi. [1][Refert Valerius Maximus] Erudire debet regina filios et filias et in omni continentia servare; iuxta illud [2]ecclesiastes: Filii [3]*tibi* sunt, erudi illos; [4]filiae tibi sunt, serva corpus earum. Dicit etiam Helinandus, quod necessaria est principi scientia litterarum, [5]cui cotidie legem domini legere praecipit. Hinc est quod in litteris, quas rex Romanorum misisse legitur ad regem Franciae hortans eum ut filios suos liberalibus disciplinis instrui faceret, adiecit inter cetera: Rex illiteratus est quasi asinus coronatus. Octavianus Caesar filios suos erudi fecit, natare, saltare, hastiludere et quidquid ad militiam pertinet, filias vero [6]suere, nere, texere et quidquid [7]in lino serico vel lana fit artem discere mandavit. Cum a quibusdam carioribus suis quaereretur, cur hoc faceret, ille respondisse fertur: Cum hodie sim dominus orbis, nescio si filii ad extremam paupertatem venient et ideo si quas artes docti fuerint, honorabilem vitam ducere poterunt. — [8]In omni castitate servandae sunt filiae. Legimus enim sola continentia aliquas virgines dignitatem reginae meruisse. Nam refert Paulus Lombardorum historicus, quod in Foro Julii erat quaedam ducissa [9]Romilda nomine, habens quattuor [10]filios et duas filias, quae cum [11]Catanus rex Hungarorum, qui et Avari sunt dicti, obsideret civitatem, [12]ubi ipsa erat cum liberis, et vidisset de muro ipsum regem pulcherrimum corpore, eius amore capta occulte ei mandavit, quod si eam vellet ducere in uxorem, traderet sibi castrum. Cumque illi promisisset ac iuramento firmasset apertoque castro, Avari qui et Hungari dicuntur, huc et illuc [13]discurrerent, mulieres et homines caperent, [14]filii aufugerunt. Quorum minimus Grimoaldus nomine postmodum Beneventanus dux, deinde Longobardorum [15]rex extitit. Duae quoque filiae eius acceptis carnibus pullorum supposuerunt mamillis ut ex carne mamillarum, pullorum carne calefacta, foetentem odorem emitterent et sic intactae relictae virginitatem servarent. Quodcum Avari ad eas accederent et statim nimium sentirent foetorem, eis relictis ad se invicem loquebantur: Quam foetidae sunt istae Longobardae. Una earum postea regina Franciae, altera [16]Alemanniae fuit. Praedictus vero rex Catanus nomine matri earum volens servare promissum una nocte [17]sola sibi matrimonio copulavit; postera vero die XII. Avaris i. e. Hungaris illudendam publice tradidit. Tertio vero die eam [18]per claustra pudoris palo ligneo usque ad [19]gulam fecit [20]infligi dicens: Talis libidinosa uxor, quae propter carnis suae libidinem civitatem suam [21]perdidit, talem [22]decet habere maritum. Et haec de regina dicta [23]sufficiant.

[24]Sciendum est, alphiles fuisse formatos ad modum iudicum [25]assessorum in cathedra cum libro aperto ante oculos. Et quia quaedam sunt causae criminales, quaedam vero [26]*circa* possessiones et res temporales litigatoriae, ideo duos iudices necesse fuit in regno esse, unum alphilem in nigro, quo ad primas, [27]alterum in albo, quo ad secundas. Horum enim officium est, regi consulere, leges de mandato principis condere, totumque regnum moribus informare, [28]secundum allegata sententias definire, consilia aequa et recta sine [29]personarum acceptione postulantibus [30]dare, [31]contemplationes intendere, ut quae alii manu operantur, ipsi mente et sua sapientia disponant et ordinent. Debet iudex firmus esse et constans, ut non [32]*amore* pecuniae [33]aut livore invidiae ac carnis origine corrumpatur. Quo ad primum dicit Seneca in libro de beneficiis, quod potentior erat Diogenes Alexandro omnia possidente; plus enim erat quod ille nollet accipere quam quod iste posset dare. [34][Dicit etiam quod Marcus Curtius egregii Romani nominis, cum obsideret [35]Samnites sive Beneventanos et illi audissent, illum pauperem esse rebus, tulerunt ei magnum auri pondus. Cumque eum in castris invenissent sedentem ad coenam ligneis vasis in cibo uti non aureis, cogitaverunt pauperem divitem velle fieri dixeruntque: Ecce quidem tibi munus [36]Samnites sive Beneventani deferunt postulantes ut de obsidione discedas. [37]Cui ille respondit: [38]Narrate, inquit, [39]Samnitibus Marcum Curtium magis velle locupletibus imperare quam ipsum locupletem esse, et [40]mementote eum nec acie exercitus vinci nec pecunia corrumpi posse. Malum exitum habet illud, quod virtute et meritis [41]effici debet, cum idem pecunia temptatur. Refert Helinandus quod Demosthenes cum Aristodemum actorem fabularum interrogasset, quidnam mercedis ut peroraret accepisset et ille respondisset auri talentum, At ego, ait Demosthenes, plus accepi ut taceam. Ita iudicum causidicorum lingua damnificata est, nisi eam, ut [42]dici solet, funibus argenteis [43]vincias. Apud advocatos, igitur silentium venale est.]

---

[1] Uncis inclusa desunt in E. [2] In E deest, adest in AC. [3] Add. E, A *Si filii tibi sunt.* [4] A *Si filii et filiae.* [5] C *qui.* [6] A *suere, incidere,* E *consuere, incidere.* [7] C *ligno cerico,* E *lino, seta vel lana,* A *quidquid de arte lini, lanae et sericae pertinent addiscere mandat.* [8] Hoc colon deest in A. [9] A *Roximunda.* [10] C *filias et due filie.* [11] *Cacanus* ap. Paul., A *Cacherinus.* [12] C *se et ubi,* E *se ubi et.* Suspicor in *se et* nomen civitatis Foroiuliensis latere. A *obsideret castrum civitatense, ubi illa morabatur.* [13] C *discurrent,* A *discurrerunt — capiebant.* [14] C *filii autem fugerunt,* A *afugierunt,* E *aufugerunt.* [15] *rex* deest in C. [16] A *Angliae.* [17] A *unam noctem illam.* [18] E *per nates,* A *per naturam.* [19] C *gallam.* [20] A *transfigi.* [21] A *prodidit,* E *tradidit.* [22] C *debet.* [23] C *sufficiunt,* AE *sufficiant.* [24] E *Incipit tertium Capitulum secundi tractatus de alphilibus et officiis et moribus eorum.* Ceterum duplex *alphili* vocis declinatio te ne sollicitet. Cf. DuCangii gloss. med. lat. [25] E *sedentium,* A *et assessorum sedentes in cath.* [26] Ex E add., A *contra.* [27] A inserit: *quaestiones.* [28] AE inserunt: *causas iustas fovere.* [29] A *percunia pro personarum.* [30] AE *ostendere.* [31] Ex A, CE *contemplationi.* [32] Ex A. [33] Sic AC, E *ab re pec. vel livoris invid. aut c.* [34] Uncis inclusa desunt in E. Excidit in C nomen Valerii Maximi 4, 3. 5. Legendum est M'. Curtius. A *Marcus Tulius.* [35] AC *samnitas.* [36] C *Samnetae.* [37] A *quibus.* [38] C *Nam te.* [39] C *Samentibus.* [40] C *memento.* [41] A *effici,* C *esse.* [42] AC *dixi.* [43] C *vincas,* A *iungas.*

Refert [1]Valerius quod cum [2]Senatus Romanorum consilium in ipso Senatu [3]quaereret de duobus, [4]quorum unus erat pauper, alius ditissimus erat sed avarus, quis eorum [5]esset aptior ad regendam et iudicandam Hispaniam, Scipio [6]Aemilianus respondisse dicitur: Neuter mihi mittendus videtur, quia [7]*alter* nihil habet, alteri nihil est satis, aeque in iudicibus reprobans paupertatem et avaritiam. Nam avarus etiam [8]obolo indiget, cum sit pecuniae servus non dominus, paupertas vero voluntaria est nimium apta iudicio. Et ideo legimus quod, dum Romani amaverunt paupertatem, ubique dominium haberent. Legimus multos maxime Romanorum praefuisse rei publicae, et ita eos pauperes [illegible] a[illegible]atis rebus, ut in morte de publico sumptu eis exequias celebrasse necesse fuerit, [9][filias quoque eorum senatus mandato de sumptu [10]publico tradidisse nuptui]. Ac postquam spreta paupertate divitiis [11]inhiarunt, bella suborta sunt intestina et crimina varia pullularunt. [12]Nullum crimen abest ex quo Romana paupertas periit, nunquam maior est animus, quam ubi aliena [13]a se posuit et fecit sibi pacem nihil timendo, fecit sibi divitias nihil concupiscendo. Valerius dicit quod locupletem facit non multa possidere sed modica desiderare. — Attendant autem iudices, ne amore privato vel odio in iudicio moveantur. Nam omnis amor caecus est. Et ideo Theophrasti sententia fuit, amantium [14]caeca esse iudicia. Unde quia quilibet homo prae ceteris [15]*se* ipsum amat, in iudicio sui facilius errat, amor namque privatus mentem vehementer [16]occaecat. Unde quidam versificator ait: Omnis amor caecus, non est amor arbiter aequus, Nam [17]deforme pecus iudicat esse decus. [18][Refert Q. Curtius libro I. quod Godares magus ad Alexandrum ait: Natura mortalium hoc nomine prava et sinistra dici potest, quia in suo quisque negotio hebetior est quam [19]*in* alieno. — Iram in iudicio fugiant. Item Tullius dicit quod iratus facinus consilium putat [20]et] Socrates dicit quod duo sunt maxime contraria consilio festinatio et ira, et [21]Gualterus in [22]Alexandride: Si [23]lis inciderit te iudice, [24]dirige libram iudicii, non flectat amor, non munera palpent, non moveat stabilem personae acceptio mentem. Refert Helinandus, quod Cambyses rex Persarum adeo severus fuit ut quendam iniustum iudicem, qui [25]ab odii et animi livore percussus aemulum iniuste damnaverat, vivum excoriari fecerat et supra sedem iudiciariam cute [26]carnis eius coopertam filium iudicis fecerat sedere, ut filius timeret iniuste iudicare, poenam patris et iudicium horrens iustitiam librae [27]lance teneret. — Originem carnis a se trahentes aeque puniant, ut legem patiantur in suis, quam promulgant in aliis. Cato: Patere legem, quam ipse tuleris. Refert Valerius, quod [28]Zaleucus Consul quum filius eius adulterio esset damnatus et propter hoc utroque oculo carere deberet et tota civitas propter honorem patris ne hoc iudicium fieret postulasset vel [29]repugnasset aliquamdiu, ad ultimum precibus populi victus, ne lex a se condita violaretur, suo prius, deinde filii eruto oculo [30]utrique usum videndi reliquit. [31]Legimus quendam Romanum consulem, qui legem condiderat ut morte damnaretur, qui cum ferro [32]senatum intrasset, et ipse casu de villa veniens subito ad senatum vocatus, oblitus ferrum deponere a consedente [33]monitus [34]cur oblitus fuisset gladium deponere, ipsum quo cinctus ferro erat, coram toto senatu exemisse, et quod senatus doluit, propria [35]se manu ipso ferro peremisse. Sed heu, hodie multae civitates et iudices illud faciunt, quod dicit [36]Macharius, qui dicit leges similes aranearum telis. Sicut enim illa animalia maiora et valentiora dimittunt, infirmiora vero ut muscas retinent et nectunt, sic legibus [37]iure minores et populares ligari, maiores vero et potentiores legibus non constringi. [38]Et ideo ex hoc nascuntur bella civilia, incitatio animorum, discordia super minores et populares, maiorum et superiorum oriuntur dominia violenta, pauperes rebus et nobiles genere non constricti legibus moventur ad praedam, exercent latrocinia, requirunt coacta servitia. Nec mirum, quia quos divinus [39]timor non retrahit, et poena [40]legibus promulgatis non punit, necesse est in omne scelus et flagitium [41]diaboli incidere. Cum vero lex [42]insolentias potentiorum severe per poenam [43]exagerat, statim exemplum eius inferiores castigat. — Contemplationi et lectioni scripturarum debent intendere, nam etsi fabrorum artifices, lignorumque caesores multa opera se glorientur educere et agricolae se utiles mundo praedicent, hi tamen iudices contemplantes plura his omnibus [44]operantur et faciunt, unde dicit [45]Seneca: Crede mihi, qui nihil agere videntur [46]maiora agunt, humana divinaque simul tractant. Ideo inter artifices nulla est placida

---

[1] Cf. VI, 4. 2. [2] CE *Senatus consultus Romanorum,* A *Senatus Romanorum concilium.* [3] AC *quaererent,* E *quaereret.* [4] A inserit *iudicibus.* [5] C *erat,* E *esset.* [6] C *emilarius,* E *emylarius.* In A deest cognom. [7] addidi ex E, A *unus.* [8] A *omni bono.* [9] Uncis iuclusa desunt in E. [10] C *publice.* [11] CE *inhiantes,* A *attendentes.* [12] A *unde Augustinus dicit.* [13] E *deposuit.* [14] Sic E, C *cecatum,* A *cecha.* [15] addidi ex AE. [16] AE *excecat. Unde — decus* om. A. [17] Sic E, C *te forem.* [18] Uncis inclusa desunt in E, sed leguntur in A, ubi *Godanes.* [19] ex A add. [20] deest in A. [21] A *Gualterius.* [22] A *Alexandro.* [23] A *lex.* [24] In E deest. [25] A *ob odio et ira ac cum livore perc.* E *ob odii et irae animi livore perc.* [26] C *carne* in rasura. [27] C *libra ldncea,* A *libram bilance.* [28] Ex Valerio VI, 5. ext. 3. *Zaleucus,* C *Calengrus,* E *Alengus.* [29] C *exp.* [30] C *utrisque,* E *utriusque.* [31] De Charonda eadem fere leguntur in Valerio M. VI. 5. extr. 4. [32] Ex AE, C *senatus.* [33] Legendum videtur *monitus esset cur.* E *requireretur cur obl.* A *monitus fuit cur.* [34] C *cum.* [35] C *seque.* [36] E *Anazarius,* A *Hanazarius.* Ex Valer. M. VII, 2. Ext. 14. restituendum est *Anacharsis.* [37] E *infirmiores.* [38] C *Ex.* [39] C *amor.* [40] E *legis promulgatae,* A *legis.* [41] E *dilabi,* omisso: *incidere,* A *flagellum incidere.* [42] C *insolaercias,* E ut nos ded. [43] E *exagerat,* C *exagant.* Fortasse legendum est *exagitat.* [44] ex A, EC *contemplantur.* [45] cf. Ep. VIII. [46] C *et mai.*

quies, nisi quam ratio iudicum ipsa composuit. Et ideo dicit [1]A. Gellius in libro Noctium Atticarum de Socrate, quod stare quandoque consueverat cogitabundus, per diem unam naturalem a summo lucis ortu usque solem alterum orientem [2]immobilis iisdem in vestigiis [3]ore atque oculis in eundem locum directis tanquam quodam [4]secessu mentis atque animi facto a corpore. Et interrogatus [5]cuiatem se esse diceret, respondit Mundanum; totius enim mundi [6]*se* incolam et civem [7]arbitrabatur. Refert Valerius, quod [8]Carneades, laboriosus et [9]divinitus sapiens cum ad mensam sederet, cogitationibus inhaerebat ut ad cibum manum ponere oblivisceretur. Sed [10]Melissa nomine uxor eius, quam magis vitae [11]societate quam carnali copula sibi iunxerat, occupato inter studia [12]et inediae succurrendi officio, dextram eius [13]necessitatis usibus aptabat, ne vir nobilis et sapiens fame periret. Didymus ad Alexandrum ait: Nos non sumus incolae huius mundi sed advenae, nec ita in orbem terrarum venimus, ut in eo [14]liceat consistere, sed transire. [15]Nihil enim indecorum poena contingimus, quippe qui nuda conscientiae fronte progredimur, ut expediti ac faciles spatium propositi decurramus itineris. Et haec de alphilibus seu iudicibus sufficiant.[16]

[17]Militem super equum, omnibus armis decoratum, impositum et formatum [18]novimus. [19]Habuit enim galeam in capite, hastam in manu dextra. Clipeo protectus fuit in laeva, ensis et clava in eadem; gladium habuit in dextra, loricam in corpore, platas in pectore, ocreas ferreas in tibia, calcaria in pede, in manibus ferreas chirothecas, equum doctum ad bellum et aptum, [20]phaleris coopertum. Hi [21]cum accinguntur, balneantur, ut novam vitam ducant et mores. Orationibus [22]provocent a deo postulantes, per gratiam in eis donari, quod eis deficit a natura. Per regem vel principem accingantur, ut cuius debent esse custodes, ab eo accipiant dignitatem et sumptus. [23]Misericordia, custodia populi, legum zelus in eis sit, ut qui armis corporeis decorantur, et moribus polleant. Quanto enim militaris dignitas alios antecedit reverentia et honore, tanto magis debent [24]eminere virtute, cum honor nihil aliud sit quam exhibitio reverentiae in testimonium virtutis. Sapiens enim esse debet et expertus nobilis miles, et antequam ad cingulum militiae veniat, tironem esse necesse est, ut diuturna experientia doctus, sit aptus ad regimen. Cum enim vita bellantium in manu militum sit, propter quod et belli cura sibi committitur, ideo necesse est [25]*eum* prudentem esse. Plus enim in bello operatur ars et experientia prudentis militis, quam fortitudo et audacia inexperti. Necesse est enim populum in [26]captionis praecipitium ruere, cum princeps militiae non prudentia sed audacia sola super hostes nititur triumphare. Idcirco nemo iuvenes seu tirones eligit duces, eo quod non constat eos esse prudentes. Alexander Macedo orientis partes pertransiens, [27]Aegyptum, Judaeam, Assyriam, Chaldaeam, Indiam et usque ad confinia Brachmanorum veniens magis prudentia antiquorum militum, quum tironum fortitudine devicit. Legimus in Romana historia, quod miles quidam nomine [28]Malceta fuit tantae sapientiae et fidei, ut mortuo [29]Theodosio imperatore contra Gildonem nomine, fratrem suum germanum, eo quod absque senatus voluntate Africam proprio [30]iuri applicare vellet, bellum moverit pro tuenda republica. Huius Malcetae duos filios Gildo praedictus [31]occiderat, in sanctos Christi nimia crudelitate saeviebat ac [32]Malceta prudens et sciens, quam in rebus desperatissimis oratio hominis per fidem Christi virtutem habeat, [33]Caprariam insulam adiit, inde secum sanctos viros exilio damnatos ibidem adducens, cum quibus orationibus tribus diebus continuavit et noctibus. Ante triduum quoque [34]*quam* hosti contiguus fieret, cernit noctu beatum Ambrosium paullo ante defunctum, [35]quandoque victoriam caperet diem sibi indicantem et locum. Expletis vero tribus diebus ac noctibus in orationibus et hymnis, de victoria fratris securus, cum quinque milibus solummodo adversus octoginta milia pergens dei nutu sine bello [36]in deditionem accepit. Quo viso auxiliari [37]Gildoni barbari destiterunt illico terga vertentes, ac Gildo fugam arripiens, ascensa navi cum in Africam rediisset post [38]aliquot dies [39]transjugulatus interiit. Hi duo praedicti Romani milites germanique fratres in Africam pro tueuda republica missi fuerant.[40] —

---

[1] Gell. II, 1. Quod habent CE *ita* ante *cogitabundus* et *ut* post eam vocem, delevi. [2] C *immobilem.* A om. [3] C *ora.* [4] E *excessu.* [5] A *cui attentum esset, mundanum inquit.* E *cui se attentum dederat, resp.* C *cui attentum se esse dixerat.* Sed cf. Cic. Tusc. 5, 37, 108. [6] *se* addunt AE. [7] C *arbitrari.* [8] C *Carnerdes,* E *Carnaides,* A *Cancedas,* sed cf. Valer. M. 8, 7. Ext. 5. [9] CE *diuturnus,* A *divinitus.* [10] C *melixa,* E *melisa.* [11] A *societati — carnalia — iusserat.* [12] E *et in edio succurrendi officio.* [13] A *sibi porrigit et cibo illum cibavit.* [14] AE *libeat.* [15] A *nihil enim in decorum contingimus poena qui nuda conscientia fronte progredimur, ut c.* C *decorum contingimus poena.* E *nihil enim in decorum poenae.* [16] Addit A: *Deo gratias.* [17] E *Incipit Capitulum quartum secundi tractatus: de forma militum et moribus eorum.* [18] C *noverimus.* [19] A *habet.* [20] C *falibus,* E *faleribus.* [21] C *tamen.* [22] E *pernoctent,* C *provocant.* Sed versio germ.: *Er sol auch anlygen* coniunctivum postulat. Eadem ex causa postea *accingantur* pro *accinguntur* C, *attinguntur* E. — Versio germ.: *In sol auch der fürst schlahen.* [23] E *Sapientia, fidelitas, liberalitas, fortitudo, misericordia, custodia populi, legum scelus.* [24] C *imminere,* A *nitere et superare.* [25] C om., A *illum,* E *eum.* [26] E *captivitatis.* [27] A *videlicet Aeg.* [28] A *Maleschita,* E *Malcheta* Oros. *Mascezil.* [29] A *Theodoro.* [30] C *viro.* [31] C *occiderit.* [32] C *Malthechae* Oros. *Mascezil.* [33] E *caprarcam adiit,* A *craprareum insulam adiit,* C *crapeam insulam.* — *adiit* deest. cf. Oros. VII, 36. [34] ex AE inserui. [35] C *quando quo vict. cap. victoriam sibi ind. et loc.* E *diem sibi et locum indicantem quando caperet victoriam de inimicis.* [36] E *triumphavit.* [37] ex AE, C *Gildo.* [38] E *aliquod,* AC *aliquos.* [39] AE *strangulatus intravit,* A *perivit.* [40] A addit: *Viri etiam militaris sapientiae fuerunt duo gloriosi principes et milites velut Jonathas et Symeon Machabei qui contra Apollonium regem de metri pugnantes cum essent pauci Apollonius in multitudine equitum suorum confidebat et contra ipsos cum suis equitibus a mane usque ad vesperos iacula mittentes fatigare permiserunt. Tunc contra illos cum suis equitibus venerunt et Apollonium cum sua gente debellaverunt.* — Quae corrigas ex 1 Maccab. 10, 69 c.

Fideles debent esse milites principibus. Militis nomen amittit qui servare fidem non [1]novit principi. Pretiosus lapis et margarita praefulgida est [2]fidei *et* firmitati admixta militia. Refert Paulus historicus Longobardorum [3]Enulphum nomine militem Ticineum seu Papiensem domino suo [4]Pertharith [5]tanta fidelitatis signa monstrasse, ut se morti pro salute domini sui exposuerit. Nam cum Grimoaldus Beneventanus dux, de quo in fine capituli de regina fecimus mentionem, per Garibaldum ducem Taurinensem, [6]primum prodito Longobardorum rege ad gubernationem per violentiam ascendisset, fugatus etiam dicti Godeberti frater germanus nomine Pertharith usque ad Hungaros fuisset, Enulphus dictum Pertharith reconciliari regi Grimoaldo [7]curavit, ut de Hungaria, ubi nec ob timorem Grimoaldi [8]*secure* vivere poterat, saltem ad pedes regis veniens et veniam petens securam vitam sine dignitate, quae sibi debebatur regia, posset decenter ducere. [9]At ubi cum reconciliatio esset expleta, Grimoaldus rex posteris temporibus, nimium linguis [10]maledicis credulus, ipsum Pertharith, quem sibi reconciliaverat, in crastinum occidi disponens, ei vina, quae inebriare possent, ne suae saluti provideret, mandavit. Quae res Enulphum militem Pertharith non latuit. Ideoque [11]accersito armigero Enulphus domum Pertharith intravit ac ibidem armigero in cubiculo ac lecto relicto ipsum Pertharith coopertum lecti stramine tanquam proprium armigerum de domo educens cum iniuriis et verberibus in domum propriam adducit, regis excubiis ante foras domus Pertharith collocatis et opinantibus abductum armigerum Enulphi, non dominum. Eadem autem nocte circa gallicantum Enulphus miles ipsum dominum suum Pertharith de muro civitatis, cui domus adhaerebat, fune submisso emisit. Qui acceptis equis pascualibus fugiens ad civitatem [12]Astensem pervenit et deinde ad regem Franciae properavit. Cumque facto mane Enulphus et eius armiger a rege Grimoaldo detenti et examinati fuissent de modo et forma, qualiter suum dominum Pertharith liberassent, et [13]postea respondissent veritatem, dixit rex Grimoaldus suis consiliariis, qua poena sunt illi puniendi, qui sic contra mandatum regium peregerunt. Et [14]*quum* unus capitali supplicio, alius [15]eculeo crucis pendere, alius binos excoriandos diceret, rex respondit: Per illum qui me creavit vel nasci fecit, isti nulla morte sunt digni, sed omni honore, qui sic fideles domino suo extiterunt. Et ideo rex Grimoaldus eos multis honoribus honoravit. Garibaldus vero proditor et Taurinensium dux per manum armigeri [16]Godeberti quondam regis, quem pro sua proditione vita et regno privaverat, in festo solemni in ecclesia Sancti Johannis Baptistae apud Taurinum iuste ac miserabiliter interfectus [17]*est*. — Non solum enim eos decet esse fideles ad duces et principes, sed ad se ipsos, ut inter se iungantur fideli amicitia. Multum enim acies militum timetur ab hostibus, cum in eis amicitiae et fidelitatis vinculum [18]inviolabile opinatur, et contra cum in acie militum voluntatum desidia vel discordia oritur, raro belli victoria expectatur. Milites ergo se sic amore mutuo foveant ut honorem alterius suam putent esse victoriam [19][et morti [20]miles pro altero se exponat.[21] Legimus enim quod [22]Damon et [23]Phintias, sic vocati, fuerunt nobiles milites ac Pythagorae discipuli. Hi inter se tam fidelem iunxerunt amicitiam, ut cum alterum [24]Dionysius rex Siciliae apud Syracusanam interficere vellet et is tempus ab eo, quo [25]priusquam periret domum profectus [26]res suas ordinaret, impetrasset, [27]alter vadem se pro eius reditu tyranno tradere non dubitaverit. Appropinquante autem [28]praefinita die nec illo redeunte unusquisque stultitiae tam temerarium sponsorem damnabat. At is se de amici constantia nihil [29]metuere praedicabat. Eodem itaque momento et hora a rege Dionysio constituta qui [30]veniam acceperat supervenit, et admiratus rex amborum animum supplicium remisit eosque insuper ut ipsum in societatem amicitiae et in tertium sodalicii gradum reciperent rogitavit.] — Ecce, vires amicitiae mortis contemptum ingenerare, vitae dulcedinem extinguere, crudelitatem mansuefacere, odium in amorem convertere, poenam [31]beneficio pensare poterunt. [32] [[33]Suetonius dicit, quod Julius Caesar amicitias non facile amisit et [34]quam constantissime retinuit.] Scipio Africanus dicebat, nihil esse difficilius quam [35]amicitiam usque ad extremum vitae diem permanere. [36][Interdum enim amicitiae contentione [37]diminuuntur luxuriae vel alterius commodi, cumque idem adipisci uterque non potest.] Verae amicitiae difficile reperiuntur in illis, qui in honoribus reipublicae versantur. Ubi enim invenies, qui honorem

---

[1] E *noverit.* [2] E *fidei firmari ad mixta militia.* — Add. *et.* [3] A *Onulphum,* E *Omilphum.* [4] C *Parcharith,* E *Pertarich,* A *suo regi nomine desiderio sive Patherich.* [5] A *tantae.* [6] A *primum,* C *primo proditore,* AE *per Garib. ducem Taurinensium primum proditorem* (A *coronae,* CE *Lombardorum*) *interfecto Egodiperto rege Longobardorum ad regni gubernationem* (A *gubernacula*) c. [7] Sic E, C *creavit.* Paulo antea legendum videtur: *reconciliaturus* vel *cupiens* inserendum. [8] Add. ex A. [9] sic E, C *Ac.* [10] C *maledictis.* [11] C *a cernifico,* E *accersito.* [12] C *absentem,* quod expunxit scriba, tunc eadem linea pergens dedit: *abstencem.* AE *Astensem.* [13] E *per omnia.* [14] add. *est.* [15] C *aculeo.* [16] C *Egodeberti,* E *Egodiperti.* [17] Ex E add., A *fuit.* [18] Sic E, C *inviolabiliter.* [19] Uncis inclusa desunt in E. Pro *exponat* C habet *expoliat.* [20] A *unus.* [21] A inserit: *Tales fuerunt milites Joab et Abysai contra Syros et Amonitas bellantes, qui sibi invicem fidelis amicitiae subsidia praestantes, hostes in fugam verterunt. Unde dixit Joab ad Abysay: Esto vir fortis et pugnemus* (*pro*) *populo nostro et pro civitate dei nostri. Et si praevaluerint adversum me Syri, eris mihi in adiutorium. Si autem filii Amon praevaluerint tibi, ego tibi auxiliabor. Et istomodo omnes hostes fugaverunt.* [22] A *Amon.* [23] AC *Physias.* [24] C *Dionysium rex Cecilie apud Ciracusanam.* [25] C *periret prius.* Valer. Max. 4, 7. Ext. 1. [26] C *ut res.* [27] C *alter vadium securitatem — dubitavit.* [28] C *praefinitam diem.* [29] C perperum: *servo tuere.* [30] C *eam.* [31] Ex AE, C *benefice.* [32] Uncis inclusa desunt in E. [33] C *Senochonius.* [34] C *cum constantissimo.* [35] A *in amicitia.* [36] [—] des. in E. [37] A *dirimuntur.*



[1]*amici* suo anteponat? — Liberales milites esse oportet. Cum enim miles propria commoda respicit, subiectos sibi tirones lucri invidia premit. [2][Cum enim commilitones propria [3]commoda periculis exponere, ductores vero milites sumptus et lucra multiplicare conspiciunt, visis hostibus citius terga vertunt. Fit saepe, ut apud eum, qui multiplicavit pecuniam neglecta victoria, sibi cedat avaritiae tenacitas in ruinam. Quanti hodie defecere viribus, qui divitiis attenti abundare cupiere.] Provideat ergo miles liberalitatem habere in suis, ne avaratia ductus tenacitatem lucrum putans, hostis aemulus, alieno [4]aere dives effectus, suum [5]proprium liberalitate sollicitet, ut, quod natura belli respuit, sine viribus et [6]exercitus fortitudine, pecunia [7]attentetur. Saepe enim fit ut quod natura negat, pecunia vincat. Et ideo [8]summa vigilantia attendendum, ne imminente periculo belli pecuniae fiat exactio. [9][Attende plane tu, qui [10]*non aliis* dominaris, sed cui alius dominatur, intra urbem spoliatus propriis, extra ad quoddam confugias refugium [11]alienum. Sed cum propriis per tuos, ardentes [12]avaritia, spoliaris, numquid per [13]exteros existimas ditari? Absit,] nemo enim sua relinquens, aliena sperans dives fit. [14]Communia ergo inter milites praeter arma lucra sint, ut quibus debet esse communis victoria, sit communis praeda. Et ideo [15]David ut legitur in libro Regum: Aequa erit portio descendentis ad proelium et remanentis ad sarcinam, [16]propter quod remanentium voluntas extunc extitit ut non solum eum militiae [17]haberent principem sed et regis postmodum coronam haberet. Alexander Macedo in [18]*forma* simplicis militis [19]Pori, Indorum regis curiam visitavit, ut per se ipsius statum et potentiam exploraret. Cum igitur Alexander a Poro rege honorifice fuisset susceptus et ab eo [20]quaesitus fuisset de viribus et consuetudinibus Alexandri, non Alexandrum [21]Porus putans, sed Antigonum, Alexandri militem, eum invitavit ad mensam. Alexander vero sub [22]Antigoni nomine post cuiuscunque ferculi delationem vasa aurea et argentea dapifera clam et furtim sibi ut propria vindicavit. [23]At postquam super his [24]Alexander regi Poro esset per servitores dapiferos accusatus, post cibum Alexander regi assistitur et quaesitus super his fertur respondisse: Oro, domine, mi rex ut [25]tui assistentes fortes milites [26]una tecum Alexandri consuetudines et munificentiam audiant. Quod cum factum esset sic Alexander proloquitur: Mi domine rex, audiens maximam famam tui maiorem esse Alexandro tam in militia quam expensa, ad te simplex [27]ego Antigonus confugi ut tanquam [28]maiori tibi et non sibi [29]possem assistere. Verum quia lex Alexandri est, ut omnis miles post cibum vasa aurea et argentea, in quibus ad mensum sibi cibaria deferantur, [30]propria vindicet et secum asportet, te non minorem eo putans eandem consuetudinem in tua curia servare decrevi. Quod audientes milites Pori, eum relinquentes [31]et Alexandrum ducem sequentes in castra, muneribus honorati una cum rege Alexandro contra Porum regem Indiae venientes, ipsum occiderunt totamque Indiam [32]Alexandro domino subegerunt. Memento [33]rex, bursa [34]clausa nullam tibi [35]offerri victoriam. Ovidius: Munera crede mihi capiunt hominesque deosque, Placatur donis Juppiter ipse datis. Verba mulcent aures, sit tibi responsio mollis, [36]at cum pecunia effunditur, belli negotium perpetratur. Fortes milites necesse est esse, non tantum corporis fortitudine [37][*sed et animi. Plerique* [38]*multi fortissimi robore corporis*] debiles sunt animo. Magni corpore fortes esse possunt, raro vero animosos credimus; [39][*medicores magis animosos et ad bellum aptos existimamus.*] Fortis vero est, qui patitur et non deducitur. Legimus Codrum ducem tanti fuisse animi, ut cum esset Atheniensium [40]exercitus contra [41]Peloponnesios ad bellum paratus et inter ipsas acies exercituum lex esset [42]edita, ut illi victores existerent, quorum princeps et dux exercitus bello caderet, habitu peregrino [43]militari suscepto in hostes se dedisse [44]praecipitem bello, ut sic saltem percussus ab hostibus interiret; maluit enim mori ut viverent sui, quam vivere suis superatis. Dulce et decorum est pro patria mori. Nemo sine spe magnae felicitatis pro patria se offert ad mortem. — Misericordia in milite luceat, nam nihil est quod tam [45]praeclarum faciat militem, quam, cum ad victoriam venerit, vivificare prostratum cum possit occidere. [46][Ferae potius quam militis [47]opinor est adversariorum non victoriam sed cruorem sitire, propter quod legimus, quod cum Sulla Romanorum dux [48]externae [49]partis esset, multasque victorias contra [50]interiores Romanos habuisset, intantum ut primo bello apud Apuliam X et VII milia, apud Campaniam LXX milia, patente tandem urbe inermes mille occidisset,

---

[1] Deest in C. [2] [—] desunt in E. [3] A *corpora.* [4] C *ore.* [5] E *populum.* [6] E *exercitiis fortitudine pecunia.* [7] C *atteratur*, A *attentet*, E *arcentur.* [8] ex AE, C *solum.* [9] [—] desunt in E. [10] ex A add. [11] C *alicui*, A *alienum.* [12] C *avaritiam.* [13] C *exteras*, A *extraneos.* [14] Sic ex AE, C *Omnia — sint communia.* [15] 1 Sam. 30, 24. [16] perperam C: *propter quod remanentis ad sarcinam propter quosdam remanentium voluntas* c. [17] A utroque loco *haberent*, C *haberet*, E semel tantum in fine *haberet.* [18] ex E add. [19] A hic et ubique *Darii regis Persarum* nomen substituit. [20] ex A, CE quaesivisset. [21] C *Poro.* [22] C *Antigone.* [23] C *Ac.* [24] C male: *Alexandri regis praeesset per serv.* c. [25] C *tuis.* [26] ex E, C *lateribus.* [27] C *ergo Antigonius.* [28] C *maiorem.* [29] C *possum.* [30] C *propria ut vind.* [31] C *ut Al. in ducem sequentes.* [32] E *Alexandri dicioni*, A *Alexandro.* [33] ex A, CE *miles.* [34] *tibi* delevi. [35] E *praestari.* [36] C *ac.* [37] Uncis inclusa exciderunt e C, addidi ex AE. *plerique* deest in A. [38] *fortasse milites.* [39] Uncis inclusa ex AE add. [40] Quod inserunt CE *princeps* delevi. [41] A *poliponenses*, C *poliponeum*, E *poliponienses.* [42] E *edicta.* [43] E *non militari.* [44] C *praecipientem.* [45] C *praeclaratum*, E *praeclarum.* [46] Uncis inclusa leguntur etiam in A, sed desunt in E. Eorum loco ibi leguntur haec: *De qua misericordia invenies in sequenti capitulo: de iudicum pietate.* [47] C *opus est adversarii victoriam sed amorem sitire.* [48] A *ex contrariae.* [49] C *partes.* [50] deest in A.

[1]Quintus Catulus palam Sullae dixit: [2]Siste modo [3]*et* esto misericors. [4]Cum quibus tandem [5]victuri sumus, si armatos in bello, in pace inermes occidamus?] Summum enim genus vindictae est parcere cum possis occidere. — [6]Custodes popularium debent esse milites. Cum enim multitudo populi in castris moratur, militum acies semper invigilet. Nam ob id legiones militum a Romanis de diversis nationibus Romam vocatae sunt, [7]ut quieti et propriis artificiis populares vacare possent. Non enim potest artifex commode artificio intendere et bello insistere. Et ideo milites populum [8]custodiant, ipsi vero populares militia [9]saepti artificiis sollicite insistant. Quomodo securus erit tempore belli agricola, nisi militis fuerit vigilantia [10][et diuturna custodia]? Sicut enim gloria regis sunt [11]*milites, sic et* militibus necessaria congregant populares artifices. Sicut enim nemo sibi militat, sic et [12]artificum nemo sibi laborat. Custodiant ergo milites populum, ut populus pace gaudens militibus sumptus [13]accumulet et impensas. Legimus enim quod [14]Achis rex Gath David militi dixit: [15]Ego custodem capitis mei te ponam omni tempore. [16]Zelare etiam debent pro legibus, quia regiam maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam. — Laborare debent milites ut leges iuste et diligenter observent, quem ad modum refert Trogus Pompeius de [17]Lycurgo quodam nobili milite, qui finxit quasdam leges. Tum quia populo durae videbantur, [18]*tum* quia iustae erant, [19]auctorem earum Apollinem Delphicum fuisse [20]simulabat. Cumque eas propter earum duritiem solvere vellent et Lycurgus populum et civitatem iuramento astrinxisset, quod eas non solverent donec [21]consuluisset *oraculum* Delphicum ac reversus responsum portaret, ad [22]Cretam in exilium ivit ibique [23]perpetuum peregit exilium, ut praedictae leges observarentur. Cumque appropinquasset morti, ossa sua in mare proici mandavit, ne si forte mortui ossa ad civitatem [24]adiuratam fuissent delata, existimarent se esse solutos iuramento. [25][Praedictas autem leges, quia iustae erant, sic subscribemus. Prima lege populum in obsequium principum et principes ad custodiam populi atque ad iustitiam [26]imperiorum formavit. Secunda omnibus [27]parsimoniam suasit, existimans laborem militiae assidua [28]frugalitatis consuetudine faciliorem fore. Tertia [29]emi singula non pecunia sed compensatione mercium iussit. Quarta auri et argenti [30]usum, velut omnium scelerum materiam sustulit. Quinta rei publicae per [31]ordines divisit administrationem, [32]regibus potestatem bellorum, magistratibus iudicia et legitimas sanctiones, senatui custodiam legum, populo eligendi vel [33]creandi quos [34]vellet magistratus potestatem permisit. Sexta fundos omnes aequaliter divisit, ut aequa patrimonia neminem aliis potentiorem redderent. Septima convivari omnes publice iussit, ne cui divitiae sint causa luxuriae in occulto. Octava iuvenibus non amplius uti una veste toto anno permisit. Nona pueros [35]pauperes non in foro sed in agro deduci iubet, ut primos annos non in luxu aut ioco sed opere agerent. Decima statuit virgines sine dote nubere. Undecima ut uxores eligerentur, non [36]pecunia [37]iussit. Duodecima maximum honorem non divitum sed pro gradu aetatis [38]senum esse voluit.] Nulla autem lege aliquid scivit, [39]cui primus ipse servando non fuit in exemplum. Et haec de militibus dicta sufficiant.

[40]Vicarii seu legati regis rochi sunt, quorum forma sic inscribitur: Nam miles super equum [41]cum chlamyde, pelle de vario et circa [42]capuciam habens, in manu baculum positum fuit. Quia enim rex personaliter in regno suo ubique praesens esse non potest, [43]ideo necesse fuit ut auctoritas, quae est in rege sicut in fonte, derivetur ad rochos, [44]quos vicarios suos statuit, ut ipsi personaliter regnum visitent et regiam potentiam omnibus subiectis ditioni regiae manifestent. Quia vero regnum quandoque locorum distantia diffunditur, ne novitates in una regni parte oriantur altera ignorante, necesse fuit duos esse regni baiulos seu vicarios, unum in dextra, alterum in laeva. In his debet esse iustitia, pietas, humilitas, pervicacia, voluntaria paupertas et liberalitas. Iustitia luceant regni vicarii quia ipsa est praeclara virtutum magistra. Interdum enim fit, ut propter nequitiam ministrorum dum superbiendo iustitiam subvertant, sine culpa principis ignorantis regna perdantur. Iniustus enim minister principem de iniustitia culpat. Qualis enim rex, tales et ministri. Cum igitur ministri sunt impii, et impius rex ipse putatur; ac contra cum ministri iustitiam omnimode custodiunt, iniustus rex si fuit, iustus protinus vel ab omnibus opinatur.

---

[1] C *Quintulus* [2] ex A, C *disce.* [3] ex A. Oros. V. 21. [4] A *cum illis, quibus victores sumus.* Cetera desunt. [5] *victuri i. e. vivifieri sumus.* [6] A hoc loco inserit narrationem ex Vulgata desumptam de Joab duce. 2 Sam. 18, 16. et 2, 26. [7] Sic AE, C *ac quieti ut propr.* [8] AC *custodiunt.* [9] C *cepti,* A *separati.* [10] Uncis inclusa desunt in E, leguntur in AC. [11] In C desunt: *milites sic et.* [12] C *artificium.* [13] C *accumulent.* [14] C *Acus rex Geth.* 1 Sam. 27. [15] C *esto.* [16] C *Zalare dicitur,* E *Zelare enim debent,* A *Laborare etiam debet miles.* [17] A *Lugurio,* E *Ligureo,* C *de huguris,* quod rubro colore expunctum. In margine quid scriptum fuerit vix videndum est cum nil nisi *urgo* legi possit, cetera glutino obducta perierunt. [18] add. ex E. [19] CE *actorem.* Sed. v. Justin. III, 3. [20] deest in E, C *Ap. Delph. se simulans proficisci,* sed *se* in rasura; *simulans proficisci* sub linea eadem manu tanquam suo loco omissum, restitutum est ex male intellecto Justino III. 3. § 11. [21] E *consuluisset,* C *consuleret. Oraculum* addidi ex Just. [22] Sic E, C *coetum.* [23] C *populum.* [24] C *abiuratam.* [25] Uncis inclusa desunt in E, leguntur in A. [26] C *impiorum.* [27] C *per symoniam.* [28] A *fragilitatis.* [29] dupliciter scrpt. in C. [30] C *velo omnem vitiorum materiam sustinuit.* [31] AC *ordinem.* [32] rubro colore expunctum. [33] C *certandi.* [34] C *velit.* [35] In Justino *puberes.* [36] In Just. *pecuniae.* [37] A inserit *sed prole creanda.* [38] A *senium,* C *senis.* [39] A *cui primo ipse servando aliis non fuerit* c. [40] E: *Incipit Capitulum quintum secundi Tractatus: de forma Rochorum et moribus eorum.* [41] A *cum clamide foderato habens in manu virgam extensam.* [42] C *capucia,* E *caput.* [43] C *et.* [44] AE *suos quoque vicarios ut ipsi* c.

[1][Romani praeterea iustas leges esse voluerunt, ut quos ad regimen delegabant, servando leges a libra iustitiae [2]deviare non possent.] Fuit enim generale dictum apud antiquos, nihil expedire quod non erat iustum. [3][Unde narrat Valerius, [4]quod [5]Themistocles dixit Atheniensibus, quod sciret saluberrimum consilium sc. quod [6]incenderent classem [7]Macedoniorum, nec publicare consilium voluit, sed petiit unum [8]civitatensem, cui tacite exponeret. Et fuit ei datus Aristides, qui audito consilio rediit ad contionem [9]dicens: [10]Themistoclis consilium utile est, minime tamen iustum [11]animo volvere. Ac vero contio, quod aequum non videtur, nec expedire clamavit. Adeo etiam in rege debet vigere iustitia, ut pro salvanda republica sit ei omnimode cura et illius utilitatem vitae propriae praeponat.] Huius exemplum [12]*habemus* de Marco Regulo, de quo ait Tullius in libro de officiis et Augustinus in libr. de Civ. Dei. Qui cum [13]*contra* Carthaginienses bello navali [14]certasset ac ab ipsis superatus ductus captivus fuisset, ab ipsis Carthaginiensibus ductus est Romam sub iuramento redeundi pro commutatione captivorum, ut videlicet quos Romani detinebant Carthaginienses captivos dimitterent, et spondebant Carthaginienses, captivos Romanos apud se detentos liberos abire. Marcus igitur Regulus Romam veniens venit in senatum et postulationem Carthaginiensium peroravit. [15]At senatus respondit: Quod, inquit, super hac oratione [16]tuum consilium est? At Marcus Regulus: Nego fore utile Romanis implere, quae Carthaginienses postulant, eo quod iuvenes [17]sunt indocti bello aut senectute confecti, quorum ego unus ex eis sum, quos Carthaginienses captivos de ipsis Romanis detinent; fortes autem et prudentes et bonos duces cognovi, quos de Carthaginiensibus detinetis. Cumque [18]retineretur a propinquis et amicis, redire maluit, quam fidem hosti datam falsare, non ignorans ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci, meliusque iusiurandum servare decrevit. Legitur quod quidam ex Romanis, qui erant in captivitate Hannibalis, [19]iuravit de reditu, si redemptionis pretium non daret promissum. Cumque domum rediisset dicit, quod se fallaci reditu in castra iureiurando absolvisset. Quod ubi innotuit aemulus eius senatus consulto censuit eum [20]comprehendendum et custodibus publicis [21]*datis* ad Hannibalem reducendum. [22][Refert Valerius li. VI. de [23]Camillo duce Romanorum quod cum Faliscos obsideret, magister, qui docebat nobilium liberos turpi arte decepit; namque qui scientia praecellere videbatur illos pueros, ante urbem ludi exercendi gratia a muris eos paulatim elongando, extrahens [24]demum, ad castra Romanorum sermonibus blandis perduxit, et [25]*ad* Camillum perducens scelesto facinori scelestiorem sermonem adiunxit, asserens se Faliscos in manus Romanorum tradidisse, datis prius, quorum patres in potestate urbem haberent. Quae [26]*ubi* Camillus audivit, ait: Non ad similem, inquit, tui nec principem nec ducem scelestus ipse cum scelesto vivere venisti. Sunt nobis belli sicut pacis iura, iusteque ea non minus quam fortiter servare decrevimus. Arma quoque habemus, non adversus eam aetatem, cui et captis urbibus parcitur, sed adversus armatos et ipsos [27]fastiditos. Tu eos quantum in te fuit novo scelere vicisti. Ego Romanus arte et virtute, armis eos vincam. Non solum sprevit magnam perfidiam, sed tunc fuit, ut pueri proditorem post tergum manibus ligatis ad parentes reducerent. Qua iustitia animi eorum [28]sunt capti et beneficio magis quam armis victi. Senatu civitatis vocato tanta mutatio civium animis est iniecta, ut qui [29]non effabili odio videbantur, pacem peterent et portas Romanis cum gaudio aperirent.] Narrat [30]Annaeus Florus quod medicus Pyrrhi regis nocte [31]venit ad Fabricium promittens, se Pyrrhum occisurum [32]*veneno*, si aliquid ei donaret. Quem Fabricius vinctum reduci fecit ad Pyrrhum dominum suum, Pyrrhoque omnia dici, quae medicus contra eius caput spoponderat. / Tunc rex Pyrrhus admiratus eum dixisse fertur: Ille [33]Fabricius est, qui difficilius a legalitate quam sol a suo cursu diverti potest. Si igitur ignari legis divinae tales [34]fuerunt in operibus iustitiae, amore patriae et cupiditate famae, quales debent esse christiani [35]in operibus divinae iustitiae, [36][amore patriae et cupiditate famae]. Sed heu, hodie [37]Lombardos ubique bella premunt, ad quae non arma [38][seu missilia] ac iacula [39]ferunt, sed proditiones, dolositates, fraudulentiae quotidie succrescunt, hostes [40]proterunt; nulla lex, nulla fidelitas, nulla iuramenta, nulla pacta custodiunt homines, et vassalli contra dominos insurgunt, naturalia fugientes dominia quaerunt libertati [41]*deservire* et vilissimorum servi effecti dominos naturales [42]prodidisse suspirant. — Pietatem eos habere decet, quae ad omnia valet. Est autem pietas in affectu per compassionem, in effectu per remissionem, per largitionem, per condescensionem. Pietas enim est ex benignae mentis dulcedine grata omnibus auxiliatrix affectio. — Refert Valerius libro V quod nobilis sanguinis mulierem praetor ante tribunal suum [43]capitali crimine

[1] [—] desunt in E. [2] A *derivare.* [3] [—] desunt in E. [4] C *quodcum — diceret.* [5] C *Themisti*, A *Tertistides.* [6] C *inciderent.* [7] lege *Persarum* ex Val. Max. VI, 5. extr. 2. [8] A *sapientem* (fortasse: *civem Atheniensem*) *cui — exponeret.* [9] C *contionando*, A *contionem dicens.* [10] AC *Themistidis.* [11] C *animo tamen revolvite.* A *minime tamen iustum animo revolvite.* [12] ex E add. [13] ex A add. [14] C malo *cusset.* [15] C *ac*, A *cui.* [16] Sic E, C *hac tua orat. consil. est.* [17] ex A, C *et.* [18] C *detineretur.* [19] C *mirantur.* [20] E *comprehendit.* [21] add. ex E. [22] Uncis inclusa desunt in E. Valer. VI, 4, 1. [23] C *Aemulo*, A *Camille.* [24] C *domum*, A *demum.* [25] addidi. [26] add. — A *cum — audiret.* [27] A *Faliscos.* [28] C *et unde fert beneficia.* [29] A *ferali odio.* [30] C *amens*, A *armens.* [31] AE *venit*, C *veniret.* [32] Add. ex E. [33] E *fabricatus.* [34] E *fiunt.* [35] A *in operibus et in amore divinae iustitiae.* [36] Haec desunt in E. [37] E *Theuthonicos*, A *Italicos.* [38] Haec desunt in EA. [39] E *fiunt sed.* In C deest *sed.* [40] AE *prosternunt.* [41] Add. ex A, E *donari et vilissimo civium* (A *vilissimorum civium*) *servi.* [42] AE *perdidisse.* [43] C *tali.*



damnatam in carcere necandam tradidit. Is autem, qui carceris custodiae praeerat, misericordia motus non eam protinus strangulavit; aditum quoque dedit filiae sed diligenter excussae, ne quid [1]matri posset portare, futurum existimans ut fame consumeretur. Pluribus autem transactis diebus secum ipse quaerens, quidnam esset quod tamdiu sustentaretur, curiosius observans [2]animadvertit filiam exserto ubere famem matris lactis sui subsidio relevantem. Quae tamen admirabilis spectaculi novitas, ad iudices perlata remissionem poenae mulieri impetravit. [3][Quid non penetrat, quid non cogitat pietas; quid enim tam inusitatum et inauditum, quam matrem filiae uberibus alitam. Putaret hoc aliquis contra naturam factum? Certe non. Parentes diligere prima naturae lex est. Rex apum ut dicit Seneca orator sine aculeo est. Voluit enim natura nec saevum esse nec ultionem expetere, [4]telumque detraxit et iram eius inermem reliquit, exemplum hoc magnis regibus ingerens, ut non pudeat ab exiguis animalibus eos trahere mores.] Refert Valerius lib. V quod Marcus Marcellus, captis ab eo Syracusanis, cum esset constitutus in arce, [5]*ut* opulentissimae urbis et afflictorum fortunam ex alto [6]cerneret, fletum cohibere non potuit. [7][Item idem narrat, quod cum Julius Caesar Pompeium victum aspexisset pias lacrimas dedit.] Refert et de pietate Pompeii erga regem [8]Armeniae, qui contra populum Romanum multa bella gesserat, victum in conspectu suo supplicem iacere diutius non est passus, sed benignis verbis recreatum diadema, quod [9]abiecerat, capiti reponere iussit et in pristinum fortunae habitum restituit, aeque praeclarum iudicans et vincere reges [10][et facere] et parcere. Consimile dicit de quodam consule Paulo nomine, qui cum quendam captivum ad se adduci [11]audisset, occurrit illi et illum volentem ad genua sua procumbere, de terra eum levavit et ad spem hortatus eum in [12]consilio [13]*secum* sedere fecit nec honore mensae indignum eum iudicavit dicens: [14]Nam si egregium est hostem abicere, non minus tamen laudabile est infelicis misereri. [15][Caesar audita morte Catonis aemuli sui, dixit se gloriae eius invidere et [16]illum suae gloriae invidisse; patrimonium eius liberis eius incolume reservavit.] Sic enim instruit [17]Virgilius principes populum regere li. VI, ut recitat Augustinus de Civ. dei li. IX. Tu regere imperio populos, Romane, memento (Haec tibi erunt artes) pacique imponere morem, Parcere subiectis et debellare superbos. [18][Et alibi [19]Ovidius: Sed piger ad poenas [20]*princeps*, ad praemia velox. — Nihil reddit principes ac vicarios eorum inter populos ita caros, sicut affabilis eorum et grata conversatio, quae ex radice pietatis oritur.] Nam legitur de [21]Traiano, quod cum arguerent eum amici, quod in omnibus ultra quam imperatorem deceret, etiam minimis condescenderet, respondit se velle esse talem imperatorem privatis, qualem imperatorem quisque privatus optaret. [22][De Alexandro refert Valerius, quod cum in tempestate duceret exercitum, militem confectum senio, frigore [23]obstupefactum respexit, ipse sedens in sede sublimi, et appropinquans ei statim descendit et manibus suis ipsum in sede sua posuit; id enim salutare futurum dixit, quod apud Persas [24]capitale fuisset, regium solium occupasse. Quid ergo mirum, si sub eodem duce anhelabant milites, cui [25]militum incolumitas proprio fastigio [26]carior erat.] — Humiles esse debent. Quanto maiores, [27]*tanto* humilia te in omnibus. [28][Refert Valerius Maximus in li. VI. quod Publius Valerius consul Romanus ad eo plebem semper dilexit, ut merito Publicola cognominatus sit. Idem aedes suas in medio fori existentes diminui fecit, quod nimis excelsae super ceteras apparebant. Quantumcunque domus inferior, tantum gloria superior extitit. Adeo pauper mortuus est ut sumptu [29]publico sepeliretur.] Debent enim sic esse humiles, ut officiis cedant atque aliis honorem [30]communicent. Hoc est regnum nolle, regnare cum [31]possis. [32][Idem li. III. Cum Fabius Maximus [33]quinquies a se et a patre, avo maioribusque suis saepe consulatum gestum animadverteret, cum populo constanter egit, quantum potuit, ut aliquando [34]vacationem huius honoris Fabiae genti [35]darent, non quod virtutibus filii diffideret, erat enim illustris, sed ne maximum imperium in una familia continuaretur. Quid hac moderatione valentius, quae etiam patrios affectus, [36]qui potentissimi habentur, [37]superavit]. Idem [38]Fabius cum manibus totius senatus et consensu [39]*consulatus* ei deferretur et iste se excusaret, quod prae senectute non bene videret, instantibus cunctis ait: Alium vobis quaerite, ad quem hunc honorem transferatis; nam si [40]me eum gerere coëgeritis, nec ego mores vestros ferre nec vos imperium meum

---

[1] E *mater.* [2] C *omnia ducit.* [3] Uncis inclusa desunt in E. [4] C *collum,* sed vide Seneca de Clem. 1, 19. [5] add. ex Valer. V, 1, 4. [6] C *civi videre non potuit.* AE *cerveret carmen lugubre cohibere* (A *carnes lugubroses comedere.* Valer. l. l. *casum eius lugubrem intuens fletum cohibere*) *non potuit.* [7] [—] desunt in E, *dedit* ex A, *dedisse* C. [8] ACE *Germaniae,* sed cf. Valer. l. l. 3, 1. 9. [9] C *abiecit ac.* [10] [—] desunt in AE. [11] C *fecisset, uno adisset.* A *ad se duci audisset,* cf. Valer. 5, 1. 8. [12] A *convivio.* [13] ex AE. [14] C *nam si egregium nos hostem inimicis novimus, novimus et laudabilem et felicem miseris.* A *nam si egregium hostem nostrum inimicis novimus honoratum etiam laudabilem et fecilem amiseris reputabimus.* E *nam si egr. nos hostem cum inimicis novimus, etiam laudabilem et felicem miseris.* [15] [—] desunt in E. [16] C *illius gloriae.* Sed c. Valer. V, 1. 10. [17] Virg. Aen. VI, 851. CE *populum — pacisque — mores.* A *popule — mores.* [18] [—] desunt in E. [19] C *Emchus et piger.* A *et alibi Emcus Stat pier.* Sed cf. Ovid. ex Ponto 1, 2, 123. [20] ex A. [21] ACE *Troiano.* [22] [—] desunt in E. [23] C *exstup.* cf. Valer. V. 1. ext. 1. [24] C *primus fuit qui — occupasset.* A *primi erunt, qui regium solium occupabunt.* [25] C *militaris,* A *militum.* [26] C *cariore.* Deest *erat.* A *heratur.* [27] ex A add. [28] [—] desunt in E. [29] C *publice.* [30] ex E, C *participent,* A *honorem communem tribuant.* [31] C *possit.* [32] [—]desunt in E. Valer. IV, 1. 5. [33] AC *omnia.* [34] C *vacationibus,* A *vocationem.* [35] C *daret,* A *traderetur.* [36] C *quis — habitus.* [37] A *superaverit.* [38] Immo de Manlio Torquato narrat Valer. VI, 4. 1. [39] Addidi ex Valer. — C *consensu differretur,* E *consensu aliorum regnum sibi deferretur.* [40] E male *mecum cogetis gerere.*

[1]perpeti poteritis. [2][Rex fuit quidam ita [3]subtilis iudicii, quem ferunt sibi traditum diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu considerasse ac dixisse: [4]O nobilem magis quam felicem coronam, quam si quis penitus, quam multis sollicitudinibus, periculis atque miseriis [5]sit referta, cognosceret, [6]ne humi quidem iacentem tollere vellet. Post gloriam invidiam sequi memimeris.] Itaque quo clarior eris, eo magis anxium atque sollicitum te esse oportet. Legimus et Josephus recitat, quod [7]*cum* quidam amici Tiberii Caesaris eum requirerent, quod [8]praesides provinciarum [9]nimio tempore in officiis occupatos ab ipsis provinciis amoveret, respondit: Facerem, inquit, si reipublicae et subiectis populis expediret. Memini, me, inquit, hominem plenum ulceribus, muscis gravatum vidisse. Cui cum ego [10]compatiens accepto flabello muscas depellerem, sic respondit: Cur muscas plenas meo sanguine repellis et famelicas adventare permittis? Duplo mihi, [11]mi fili, cruciatum auges, unde mihi subvenire existimas, ac [12]fuit. [13][Qui enim aculeum famelicae muscae cibo repletae acriorem esse duplo dubitat, non is corpus carneum sed lapideum habere se probat.] [14]Sic ergo, ait Tiberius, in officio diu praesides permitto regnare, quos scio ditatos, [15]ne eis amotis alii pecunia vacui, in officiis substituti, relicta iustitia aspirent ad munera [16]sintque populis in exactionibus [17]graviores. [18][Vespasianus tantae humilitatis fuit, ut Nerone imperatore mortuo et Vitellio imperii raptore turpiter a Romanis truncato, acclamantibus legionibus, Vespasianum dignum imperio, [19]*negaret* et Muciano duce eum durissime reprehendente, tandem vix coactus consensit.] [20]Laudabilius est, te coactum imperium sumere, quam [21]*ultro* te honori offerre. [22]Patientia debet esse in eis sive in passione iniuriarum in verbis, sive [23]*in sententiis*, poenarum in corporibus, sive in remissione culparum, sive in moderatione disciplinarum et in correctionibus [24]*fallentium*. De patientia Alexandri dicitur, quod cum Antigonus ei dixisset quod ei non [25]competebat regnare, maxime si aetas eius consideraretur, eo quod non erubescebat dominari in corpore suo regnum voluptatis et luxuriae, et ideo eum indignum regno dicebat, patienter duram reprehensionem tulit, nihilque praeterquam se corrigere et bonos et honestos mores assumere dixit. Eodem modo narratur de patientia Julii Caesaris. Cum esset calvus et hoc gravissime ferret et capillos defluentes a vertice ad frontem revocaret, milite quodam ei dicente, facilius est te, Caesar, calvum non esse quam me [26]*in* romano exercitu timide quidquam egisse vel acturum esse, nihil omnino respondit. Cumque quidam maternam eius originem despexisset et paneficum eum vocaret, ridendo pertulit dicens: Quid melius existimas aut quod nobilitas in me incipiat aut quod in te desinat? Cumque eidem alius diceret: O tyranne, patienter respondit dicens: Si essem, non diceres. De Scipione Africano narratur, [27]qui fuit bellicosus, quod cum quidam ei diceret, eum esse vilem militem sub armis [28]ac eum [29]parum pugnantem vocaret, patienter respondit dicens: Imperatorem me peperit mater mea, non pugnatorem. De Vespasiano dicitur, quod cum quidam ei diceret, lupum posse mutare pellem, sed non animum, ipsum autem neutrum mutare posse, eo quod pecuniae esset cupidus, nec avaritiam minueret processus aetatis suae, respondit his omnibus: Risum debemus nobis, [30]correctionem et poenam criminibus. De Antigono rege narrat Seneca, quod cum audisset quod male existimaretur et [31]oblique de se, et inter dicentes et audientem esset solus paries medius sive sola cortina, illam leviter amovit dicens ex persona alterius: Discedite hinc, ne rex vos audiat; audit enim vos ipsa cortina. — Patientes debent esse contra poenas illatas. Nam refert Valerius de [32]Anaxarcho, quod cum tyrannus eum torqueri fecisset et amputationem ei linguae comminaretur: Non est, inquit ille, haec pars corporis mei tuae ditionis. Et ideo eam dentibus abscidit et abscissam et [33]commanducatam in faciem tyranni exspuit. Magni viri est et spectabilis, nihil omnino oblivisci nisi ipsas iniurias. Patientiam habeant contra correctiones faciendas. Refert [34]Valerius quod Archytas Tarentinus, qui fuit magister Platonis, cum vidisset agros suos negligentia villici destructos, ait: [35]Sumpsissem a te supplicium, nisi essem iratus. Maluit enim illum impunitum dimittere, quam propter iram plus iusto punire. Refert idem de Platone [36][quod cum adversus delictum servi graviter et vehementer exarsisset, [37]poenam nepoti suo ex sorore mandavit et modum correctionis, deforme sibi existimans si animadversio sua [38]reprehensionem mereretur. De hoc eodem [39]dicitur] quod cum irasceretur servo suo, iussit eum tunicam deponere, scapulas verberibus praebere, sua manu ipse caesurus. Postquam [40]autem intellexit se irasci, manum suspensam detinebat sicut sustulerat et stabat [41]percussuro similis.

---

[1] C *perpetire.* [2] [—] desunt in E. [3] A *similis.* [4] Val. VII, 2. extr. 5. [5] C *sic refertam.* [6] C *nec.* [7] add. ex AE. [8] C *principes*, AE *praesides.* [9] C *in uno.* [10] E *compatiens flabello muscas depellerem et currit. Quis enim aculeum famelicae muscae* c. [11] *mi* addidi. [12] C *fuisse.* [13] [—] desunt in A. [14] C *si ergo Tib.*, E *sic ergo ait Tib.* [15] C *quosne.* [16] C *sicutque.* [17] E *graves.* [18] Uncis inclusa in E desunt. [19] add. ex A *dignum imperio dicebant, qui negabat, tunc Mucianus illum durissime reprehendit tandem vix coactum consensit et dixit laudabilius esse* c. [20] E *Unde laud.* [21] ex A, E *ultimo*, C erasum. in marg. *voluntarium.* [22] E *Scientia — perpessione.* A inserit: *Legitur de Joab vicario David filius serviae quae fuit humilis qui dum civitatum filiorum Amon obsideret videns, quod capienda erat civitas scripsit regi David ut veniret ad obsidionem ut cum capta esset civitas non sibi sed regi victoria scriberetur.* [23] ex A. [24] ex A. [25] E *competeret*, A *appetebat.* [26] addidi ex E. [27] CE *quod*, A *qui.* [28] C *aut.* [29] E *per inpugnantem.* [30] C *correptionem.* [31] E *obliqui.* [32] E *Anaxartho.* Valer. Max. III, 3. ext. 4. [33] E *comminutam*, C *incommasticatam.* [34] Val. 4, 1. ext. 1. [35] C *suscepissem autem*, E *si suscepissem*; A *suscepisses a me supplicium.* [36] [—] desunt in E. [37] C *poenam pro nepoti*, A *nepoti.* [38] C *deprehensionem*, A *derepr.* [39] Senec. de Ira III, 12. [40] C *enim.* [41] C *percussio.* E *percussio simul.*

Interrogatus autem ab amico qui supervenit, quid ageret, respondit: Exigere poenas ab homine [1]iracundo, me existimans, volo. Tu autem servum istum verberibus obiurga, ego irascor, propter quod [2]caedere nolo, nam iratus plus facit quam oportet. Faciam ergo, [3]ut non sit servus iste in eius potestate, qui in sua non est qualis ego sum, et oblitus [4]servi, quem potius castigaret invenit se ipsum, abstulitque sibi ipsi potestatem in servo. Et ideo ait Seneca: Nihil tibi liceat cum irasceris, [5]*quia* omnia vis licere. Si vincere iram non potes, te illa incipit vincere. — Paupertas voluntaria adeo fuit in antiquis principibus ut magis fama nominis quam pecunia divites fieri affectarent. Narrat [6]Valerius libro III quod [7]*cum* Scipio accusaretur de pecunia apud senatum respondit: Cum totam Africam potestati vestrae subiecerim, nihil ex ea, quod meum [8]diceretur, praeter cognomen retinui. Fuit enim dictus Scipio Africanus, quia devicit Africam. [9][Non me, inquit, [10]Africanae neque fratrem meum [11]Asiaticae gazae avaros reddiderunt, nam uterque nostrum magis invidia nominis quam pecunia locuples est.] Fertur de [12]Agathocle rege quod dicebat, quod [13]auro tanquam fictilibus et fictilibus tanquam auro utendum est. Longe enim melius atque praestantius est moribus fulgere quam rebus. Ferunt enim eundem regem in fictilibus vasis coenasse, quaerentibusque causam respondit: Ego sum rex Siciliae; figulo fui genitore natus, fortunamque reverenter habeo, quia dives [14]*sum* ab genitore meo et a progenitrice domo. Considerans humilem ortum suum fictilibus utebatur utensilibus. Huius autem voluntariae paupertatis causa [15]extitit, quia utilitatem rei publicae attendebat et non suam. Et ideo Augustinus ait: Qui prudenter attendunt, plus dolent paupertatem quam opulentiam periisse Romanorum. In illa enim paupertate morum integritas servabatur, per hanc scilicet opulentiam non muros urbis sed mentes hominum ipsius civitatis dira nequitia, omni hoste peior, corrumpit. — Liberales eos decet esse. Nam per liberalitatem et munera populum a labore [16]allevant. Laborem enim populus levius portat, cum rectores suos recognitione beneficiorum atque sua praesentia assistendo comportare considerat. Legimus quod Titus Vespasiani filius adeo liberalis fuit, quod omnibus aut dabat aut promittebat. Cum a suis interioribus conquestus esset, quod plus [17]promitteret, quam posset dare, respondit: Quia neminem decet a facie principis tristem discedere. Et cum quadam die nihil dedisset, ait suis: O amici, hodiernum diem perdidi, cum nihil boni hodie fecerim. Legi de Julio Caesare, quod nunquam militibus suis dixit Ite, sed Venite, [18]dicens, quia labor cum duce participatus videtur militibus minor. Unde de ipso legitur in libro de Nugis Philosophorum, quod cum quidam veteranus quadam die periclitaretur, coram iudicibus, vocavit Caesarem, ut se in publico adiuvaret. Cui Caesar dedit bonum advocatum. At ille ait: O Caesar, te periclitante in bello Asiatico non vicarium quaesivi, sed pro te ego ipse pugnavi, detexitque cicatrices vulnerum, quae ibi susceperat, erubuitque Caesar et venit ad [19]advocatorem. Verebatur enim non tantum superbus sed et ingratus videri. Unde idem ait: [20]Qui non laborat ut militibus carus sit, nescit milites amare. At haec [21]de Rochorum et nobilium moribus et officiis dicta sufficiant.

[22]Popularium formas et officia perstringentes, [23]incipiemus a primo populari in acie posito dextra regis, quem ante rochum dextrum ponimus, quia ad regis vicarium. Per hunc oportet toti regno necessaria provideri ad victum, et hunc in nostro opere agricolam appellamus. Fuit autem sic formatus. [24][Nam [25]*fuit* in humana specie factus], habens in manu dextra ligonem, [26]quo terra foditur. In sinistra habuit virgam, qua armenta et animalia diriguntur, in corrigia seu cingulo falcem seu sarculum, qua vineae et arbores putantur et ex eis superflua praescinduntur. Ad haec enim tria omnis agricultura reducitur. Cultorem terrae primum legimus fuisse Kain, Adae primogenitum. Necesse autem fuit terrae culturae insistere, ut quia terra est mater omnium, quia ex ea sumpsimus omnis formationis initium, et illam [27]habemus in fine vitae domicilium. Debuit nobis viventibus nostro labore reddere nutrimentum. Debet ergo agricola deum cognoscere, legalitatem habere, mortem contemnere, labori insistere. Cognoscere deum ipsum necesse est, ut a quo bona temporalia recipit, quibus vita sibi donata sustentatur. Ei gratiarum actio fiat, decimas rerum suarum ei offerat, eligatque [28]meliora, ne velut alter Kain [29]repellatur, ut qui decimam partem gravatur propter deum tribuere, cum sibi omnia ingruente tempestate aut hostium guerra suborta tollantur. [30]Namque pro eo quod deo est ingratus homo propriaeque virtuti suoque consilio ac industriae temporalia multiplicari ascribit, dei disponente iudicio omnia tolluntur ingrato. Dignum est enim, ut homo qui in abundante fortuna deum non noverat, vel sic sibi adversante fortuna requirat. Legimus

---

[1] C *iracundum.* [2] C *credere volo,* A *percutere nolo.* [3] C *ut sit servus iste in sui potestate qui in sua non est, qualis ego.* E *facium ergo ait servus iste in tui sit potestate, qui in sua non est, qualis ego sum.* [4] C *servus.* [5] ex A et Senec. [6] III, 7. 1. [7] add. ex AE. [8] E *daretur.* [9] [—] desunt in E. [10] C *Africanis.* [11] C *Asiatici.* [12] A *Archalica,* E *de Archagloga,* C *ab Archagerlega rege.* [13] C *a vero.* [14] deest in C, A *esun a prog.,* E *repraesente a progenitore meo et prog. dom.* [15] C *existit.* [16] E *alleviant,* C *alienavit.* [17] AC *promittebat.* [18] E *dominusque labor,* pro *dicens, quia labor.* [19] A *advocationem.* [20] E *Quod non laborat, ut mil. carus sit, milites nescio amare. Et haec de forma Rochorum et Nobilium dicta sufficiant.* [21] C *de Rocho nobilium.* A *de officiis rochorum et vicariorum nobilium dicta s.* [22] E *Incipit tertius tractatus de formis et moribus popularium. Primum igitur Capitulum huius tractatus est De agricola et moribus eius.* [23] C *incipientes.* [24] [—] desunt in E. [25] ex A. [26] E, C *qua.* [27] C *habeamus.* [28] AE, C *meliorem.* [29] AE *respuatur.* [30] E *Nempe.*

David regem dum ei sua fortuna arrisit, adulterium et homicidium perpetrasse, fugiente vero Saul adversanteque sibi fortuna in virtutibus ac dei dilectione mansisse. [1]Populum Judaicum legimus famelicum ac sitientem in deserto deum invocasse precibus, [2]incrassatum autem et carnibus aestuantem ante vitulum ineptis saltasse [3]lusibus. Qui ergo vacuus deum [4]cognoverat, plenus idola fabricavit. — Legalem etiam oportet esse agricolam, ut cum dominus eius nihil sibi [5]retinuerit, ille domini sui personam gerat. Curet ergo sollicitius aliena quam sua, nam maiorum et nobiliorum vita est in manibus laborantium. Sic enim artes sunt dispositae, ut nulla sibi sufficiat, sed sua aliis communicando [6]valeat. Saepe enim fit, ut agricola [7]cibetur [8]grossioribus et domino subtiliora apportet. [9][Refert [10]Valerius in libro VI, quod Antonius orator clarissimus cum accusaretur de incestu et accusatores [11]postularent, dum causa ventilaretur, ut servum eius terrarum suarum cultorem atque testem induceret, eo quod Antonius [12]*cum* iisset ad stuprum, iste portasset lanternam, et ex hoc Antonius vehementer confunderetur ac apud se sollicitaretur, Paepius nomine, Antonii agrorum cultor, hortatus est ultro eum, ut se iudicibus torquendum traderet, affirmans, nullum ex [13]se verbum exiturum, quod culpam illius posset ostendere. Itaque pluribus verberibus laceratus [14]eculeoque impositus, candentibus etiam laminibus ustus, omnem [15]*vim* accusationis custodita rei salute subvertit, purum et fortem gerens spiritum.] [16] *Fuit quidam* Panapion nomine, qui servum nomine [17]Thenyum habuit. Hic fuit admirabilis fidei, nam cum ad [18]Panapionem proscriptum occidendum milites venirent, Thenyus ipsius servus, ne agnosceretur, mutavit cum eo vestem, permutavit et annulum, se autem in cubiculum lectumque recepit et ut Panapionem occidi passus est. Sed quid plerique homines stulti serviles cibos, servilem vestem fugiunt et serviles mores non fugiunt? Omnis sapiens liber est, et omnis stultus servus. Omnis etiam animi debilitas et humilis fractaque timiditas servitus est. — Mortem timere non debent. Unde Valerius: Ratio vitam diligere, mortem [19]non timere praecipit. Ridiculum est, [20]tendere ad mortem taedio vitae; vir fortis non debet de vita fugere sed exire. Unde [21]Claudianus: Quidquid [22]liquidus complectitur aër, [23]Quidquid alit tellus, quidquid maris aequora [24]verrunt, [25]Quod fluvii volvunt, quod nutrivere paludes, Cuncta tuis pariter cedunt animalia regnis, Lunari subiecta globo, qui septimus auras Ambit et aeternis mortalia separat astris. Sub tua purpurei venient vestigia reges, Deposito luxu, turba cum paupere mixti. Omnia mors aequat. — Versificator: Forma genus mores sapientia res et honores Morte ruunt subita, sola manent merita. — Labori ita insistent ut tamen [26]vitent otia. Laborantem enim agricolam oportet esse et fructum colligere. Ita tamen labori [27]insistent, ut sacris requiescant diebus. Unde [28]Tibullus dicit: Luce sacra requiescat humus, requiescat arator, Et grave suspenso vomere cesset opus. Solvite vincla iugis: nunc ad praesepia debent Plena coronato stare boves capite. Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris, Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus. — Ad agricolam pertinet animalia et [29]armenta nutrire. Et ideo virga dirigat, ducat ad pascua et reducat. Primus homo pastor fuit Abel, qui iustus extitit et meliora deo in sacrificium obtulit. Sic te oportet eum sequi non solum arte, sed moribus et virtute. Et memento quod ille non potest esse Abel, quem Kain malitia non exercet. Ad agricolam pertinet colere arbores et inserere, plantare vineas et putare. Haec fecit primo Noe. Nam refert Josephus in libro de causis naturalium rerum, quod Noe primum invenit vitem silvestrem, id est [30]labruscam, quae a labro viarum sic dicta est. Quae cum esset amara, accepit quadruplex genus sanguinis, leonis, agni, porci et simiae, et de huiusmodi sanguine admixta terra fecit fimum et ad radicem cuiuslibet vitis praecise posuit, ut amaritudine vitis repulsa, dulcorata fructum redderet. Cumque de vino eius bibisset, inebriatus esset nudatus in tabernaculo, ob hoc a Cham filio iuniore [31]derisus est. [32]At cum sobrius [33]factus esset, [34]congregatis filiis vini naturam ostendit dicens: Ideo se sanguinem dictorum animalium apposuisse, ut discerent homines, propter vinum quandoque fieri leones [35]per iram, quandoque agnos sine mente per [36]vaecordiam, quandoque porcos per luxuriam, quandoque simias per curiositatem praesumptam. Nam simia quidquid videt [37]fieri, totum facere conatur et destruit. Sic et multi cum sunt sobrii, in propriis [38]*sunt* contenti officiis, ebrii circa officia aliena occupati, non serviunt sed deservire noscuntur. [39]Valerius dicit, quod vini usus olim Romanis feminis [40]ignoratus est, ne scilicet in aliquod dedecus pro-

---

[1] E. — C *mansisse iudicum. Legimus* c. [2] C *incrassatam*, A *ingrassatum*. [3] AC *luxibus*. [4] C *cognoscat*. [5] E *retinuerat*. [6] C inserit *esse*, AE *tunc*, A *valeant*. [7] A *cibat*. [8] E *grossioribus sicut Sabatio viridi compositio, spisso glicerio aquoso ordeo, pane spinoso ut dominis suis utiliora reportet*. [9] [—] desunt in E. [10] Valer. VI, 8. 1. [11] C *producet*. A *accusatores testes producerent et dum causa ventilaretur et servum eius cultorem terrarum suarum in testem producerent dicentes quod cum Anthonius illud incestum commisisset*. [12] *cum* deest in C. [13] C *eo*. [14] C *aculeo*. [15] deest in C. [16] Addidi ex E. *Fuit quidam*. C *spiritum Pepyronis nomine* c. Sed cf. Valer. VI, 8. 6. [17] A *Tenium*. [18] *apanaphone*. [19] A et in margine C *non timere*. In textu *timere*. [20] E *currere*. [21] Claud. de raptu Pros. II, 294 sq. [22] AC *liquidius*. [23] E *quitquit liquidius et quid complectitur aer*. [24] AC *vertunt*. [25] C *quid flumina — cedunt pariter — in mari subiecta — veniunt — lusu — mixtum*. [26] E *insistant*, C *vicent*, A *possint evitare*. [27] E *insistant*. [28] Tib. II, 1. 5. C *Luce clara — quiescat, huius — cessat — solvit — ducunt — coronato vertice stare bonos — externa*. [29] C *armamenta*. [30] A *lambruscam*. [31] C *decussus*. [32] C *ac*. [33] C *fastus*. [34] C *congregatis vini filiis nat*. [35] A ubique *propter*. [36] AC *verecundiam*, E *perevecordiam*. [37] A *facere*. [38] ex A. [39] II, 1. 5. [40] E *ignotus fuit*. A *denegatus fuit*.

laberentur. [1]Ovidius: Vina parant animos faciuntque caloribus aptos, Cura fugit multo [2]diluiturque mero. Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit, Tunc dolor et curae, rugaque frontis abit.

[3]Fabrum sic formatum tenemus, quem ante militem in dextra [4]regis parte situatum dicimus. Et merito, quia [5]miles indiget freno calcaribusque. Omnia faber facit, nam factus in forma humana habuit malleum in manu dextra, dolabrum in laeva et [6]cementarii trullam in corrigia sive cingulo. Ad [7]hunc reducuntur omnes [8]fabri ferrarii, artifices monetam componentes, [9]naucleri caesoresque lignorum, [10]cementarii et domos et muros aedificantesque turres. Primi [11]significantur in malleo, secundi in dolabra, qua ligna planantur, tertii in trulla, qua cementum inter lateres componitur. In omnibus his debet esse fidelitas, fortitudo et sapientia. — Fideles eos esse et legales necesse est. [12]Quanta eis namque committuntur non solum metalla, verum etiam [13]navigantium corpora humana; pecunia fabris committitur; corpora cementariis lignorumque caesoribus, ut in eorum aedificatis domibus a caumatibus et imbribus protegantur; cum corporibus animae sub umbra [14]naucleri in periculis securantur. Ea propter fideles exsistant, quibus tot et tanta committuntur. [15]E contra dicitur, qui fidem perdit, nihil ultra perdere potest. [16][Non autem habet causam loquendi, cui credi non potest.] Fides est sanctissimum pectoris bonum; nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo praemio corrumpitur. Refert [17]Valerius, quod Fabius receperat captivos Romanorum ab Hannibale interposita nummorum pactione. Qui cum a senatu non praestarentur, misso in urbem filio [18]fundum, quem unicum possidebat, vendidit et pretium protinus Hannibali numeravit; se enim potius [19]patrimonio quam patria fide [20]inopem esse voluit. [21]Summa amentia est, in eorum [22]fide spem habere, quorum perfidia deceptus [23]sis. Et cum fortuna statque caditque fides. Hi artifices [24]summopere mundo sunt utiles; scire enim debemus, quod ea quae in terris gignuntur, ad opus hominum creari [25]omnia, homines autem hominum [26]causa generatos fuisse, ut ipsi inter se alii [27]*aliis* prodesse [28]possint. In hoc ergo debemus naturam [29]ducem sequi et communes utilitates afferre in medium. — [30]Officium primum iustitiae est, ut ne cui [31]noceatur, deinde ut communi utilitati serviatur. Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet, Et neglecta solent incendia sumere vires. Nihil habet fortuna [32]maius, quam ut possit, nec natura melius, quam ut velit servare quam plurimos. — Sapientes eos esse decet, ut sibi invicem [33]*non* invideant, ut [34]nullus de altero suspicionem inducat. Nam naturam hominis deus hanc esse voluit, ut duarum rerum cupidus et appetens esset, scilicet religionis et sapientiae. Sed homines ideo falluntur, quia [35]religionem [36]*suscipiunt* [37]dimissa sapientia, cum alterum sine altero esse non possit. Sapientis enim est proprium, nihil facere [38]quod poenitere possit, nihil [39]invitum, sed splendide constanter graviter et honeste omnia [40]*operari.* Si nulli invideris, maior eris, [41]qui enim invidet est minor. Invidia si quidem est animi dolor ex alienis commodis, nulli ergo invidet vir bonitate praeditus. Invidus haec loquitur: Fertilior seges est alienis semper in agris, Vicinumque pecus grandius uber habet. — Suspicione [42]careant, ne verum sit illud in eis quod Seneca dicit: Hoc habet omnis affectus, ut in qua re ipse insanit in [43]eadem putet omnes furere. Dionysius Siciliae tyrannus adeo suspiciosus erat et [44]melancholicus, sciens se odio ab [45]omnibus habitum, quod submotis amicis in eorum locum ferocissimos barbaros, quibus vitae suae custodiam committeret, substituit, et etiam tonsorum metu filias suas tondere docuit; quibus adultis non ausus est ferrum committere, sed [46]*instituit* ut candentium [47]glandium et nucum putaminibus barbam sibi et capillum adurerent, nec [48]securum se exhibuit filiabus ut patrem. [49]Lectum quoque quasi castra lata fossa cinxit, in [50]quam se ligneo ponte [51]recipiebat foremque cubiculi extrinsecus a custodibus [52]clausam et intrinsecus diligentius obserabat. Propter huiusmodi suspicionis [53]naturam Plato, cum dictum Dionysium regem Siciliae circumsaeptum custodibus [54]videret, ei publica voce ait: Quid tam, inquit, mali fecisti, ut tam [55]necessarium habeas custodiri? — Fortes esse debent, maxime qui navigationi insistunt. Si enim timidi [56]exsisterent, timorem aliis imperitis et pericula nescientibus incuterent; sic quoque fieret,

---

[1] Ars am. I, 237. [2] C *diluitque modo — pauperi corona fiuret.* A *ubicunque superatur mero — abit. Et haec de agricola pastore et operario dicta sufficiant.* [3] C *Incipit Capitulum secundum tertii tractatus de Fabro et moribus eius.* [4] C *eius.* [5] AE *milites indigent habere frena, calcaria et sellas, quae omnia per fabrum* (A *construuntur*) *explentur.* [6] C *amentarii.* [7] C ex correctura *hoc.* [8] E inserit *artifices* et habet postea *aurifices, monetam c.* A *fabri ferarii muratores et monetam c.* [9] C *nauserii.* [10] C *amentarii.* [11] E *signantur.* [12] C *Quantam.* [13] AE *navigantibus.* [14] A *et custodia nauclerii,* C *naucherii.* [15] C *Et contra,* E *e contra,* A *propterea d.* [16] [—] desunt in A. [17] IV, 8. 1. [18] E *fundo.* [19] C *matrimonio,* AE *patrimoniis.* [20] A *privare.* [21] C *Si in ma autem.* [22] C *fidem.* [23] C *sit.* [24] C *sine in ope.* [25] E *creari oportet.* [26] E *tam.* [27] Ex E addidi. [28] C *potunt.* [29] C *ducere.* [30] A *fundamentum.* [31] CE *noceretur.* Versus, qui paulo post sequuntur, sunt Horatii in Ep. I, 18, 84. sq. [32] AC *magis.* [33] Ex E add. [34] C *ullus,* A *nec nullos.* [35] E *aut,* C *autem,* A *qui relig.* [36] Ex AE add. [37] AE *obm.* [38] C *quo.* [39] AC *invictum, nihil inv.* deest in E. [40] Ex E recipi. [41] A *qui enim alacri invidet minor erit.* E *quod enim invidet minor.* [42] In hanc vocem desinit fol. 16 editionis. Fol. 17—20 desunt, pro iis repetuntur fol. 9—12. Alia igitur comparata est editio ex bibliotheca Guelferbitana. (G.) [43] G *eandem.* [44] G *meticulosus.* [45] G. — C *hominibus.* [46] addidi ex Cic. Tusc. V, 20. § 58. [47] C *gladium,* G *glandinum.* [48] ex A, C *se cariorem — quam ut,* G *se securiorem — ut.* [49] C *licitum.* [50] G *quem.* [51] In C iteratum est *se recipiebant.* [52] CG *et clausam interiorem diligentius observabat.* A *cinxit, ubi pontem ligneum fieri fecit, quem ad ipsum revolvi faciebat, ubi in cubiculo intrinsecus iacebat et a custodibus diligentius observabant.* [53] AG *materiam.* [54] G *vidisset circumspectum.* [55] C *necessario,* G *a tam multis necesse habeas custodiri.* [56] C *insisterent.*



ut omnibus timentibus [1]desertis, animis [2]a labore cessantibus desperarent. Navem enim [3]procellosa tempestas citius absorbet cum deficiente animo gubernatoris consilioque perdito, ceteros suo commissos regimini timor involvit. Sit ergo in eis fortitudo animi, quae est considerata periculorum [4]susceptio. Timere enim gubernatorem [5]*debent*, etsi contingant pericula, spem tamen salutis ceteris quantamcunque [6]promittant, magni animi est [7]pericula aequo animo sustinere.[8].

[9]Tertium popularem sic describimus, quem ante alphilem dextrum situatum dicimus et tenemus. Quia inter hos, de quibus hic loquimur, saepe lites et contentiones oriuntur, [10]*quas* necesse est per alphilem tanquam per iudicem terminari et per notarium ante ipsum sedentem in authenticis scriptis poni, hic autem sic formatur: nam est homo in manu dextra habens forpices, in sinistra habens gladium latum et magnum, in [11]corrigia pugilarem et [12]pennarolum, et super aurem dextram calamum ad scribendum. Horum officia sunt instrumenta,[13] per quae contractus vires [14]sumunt, in authenticis scriptis ponere, iudicibus assistere, condemnationes recitare. Quae omnia significat pugilaris et ipse in aure calamus positus repraesentat. [15][*Alii habent pannos incidere et consuere*, *tondere*, *colorare eosque texere*, *barbam radere*, *quae omnia*] repraesentant forpices. Cultellus sive gladius repraesentat cerdones coriarios seu [16]vestiarios, animalium occisores. Hi omnes lanifici nomine appellantur, quia aut notarii aut pelliparii aut coriarii circa pellem ipsam operantur aut lanam ipsam aut pilos considerant [17]ut faciunt pannos incidentes, consuentes, colorantes, texentes, [18]barbarii et tonsores [19]pannorum, aut carnes ipsas [20]ut macellarii et animalium occisores. Ad hos [21]pertinet, artes, quibus sunt dediti, diligenter et fideliter exercere. In iis debet esse socialis amicitia, honestas, continentia et verborum veritas. Notarii rei publicae [22]utiles caveant, ne sibi approprient quae communitatis sunt. Hi enim [23]*si* boni sunt, optimi sunt, si mali, rei publicae sunt pessimi. Cum enim [24]*per* eos causae et quaestiones [25]sub iudice et assessore scribantur, multa in eis si veritas et legalitas fuerit, magna [26]communitati utilitas emerget.[27] Caveant conscientiam, ne formam contractus vitient, quia [28]*illi* ad omne damnum tenentur, cui sua dolositate in scriptis mentiti sunt. Statuta civitatum [29]cum quotidie perlegant, ea [30]discant noverintque. Et si contra deum et iura ea esse noverunt confecta, populum et rectores alliciant ad mutandum. [31]Jus enim non habet vinculum, quod contra fidem et bonos mores est sancitum. Sed heu hodie qui plura de republica noverunt bona agere, praetermisso [32]dei timore, infirmiores et inscios populares seducunt, ad coniurationes et inepta collegia attrahunt et viventes in unum seditiones in civitate potius quam amicitias adinvenerunt. Nullum hodie [33]Lombardis est tàm nocivum collegium quam notariorum, in quibus invenitur voluntatum discidium. Ut autem civitas pace gaudeat, ad concordiam voluntatis sincerae et ad amicitiam se hortentur, de qua dicit Tullius, quod amicitia est voluntas erga aliquem bonarum rerum illius causa, quem diligit cum pari voluntate; quae omnibus rebus praeponenda est. Nihil enim [34]*est* tam naturae aptum tamque conveniens ad res [35]saevas vel adversas, quam amicitia. Cuius vis quanta sit ex hoc intelligi potest, quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est et [36]adducta in angustum, ut omnis amor inter duos aut inter paucos concilietur. Quomodo potest vita [37]vitalis esse, quae non amici mutua benevolentia conquiescit. Quid enim dulcius quam habere amicum, cum quo audeas sic loqui ut tecum. Verum huiusmodi amicitia quandoque fundatur super bonum [38]*et* honestum; et haec est amicitia [39]virtuosi. Unde dicit Tullius: [40]Amicis tribue quod ratione possis tribuere. Honores, divitiae et voluptates et cetera huius generis, quae videntur esse utilia nunquam amicitiae anteponenda sunt. At neque contra rempublicam neque contra iusiurandum et fidem [41]amici causa vir bonus faciet. Si omnia facienda [42]*sunt*, quae amici volunt, non amicitiae tales, [43]*sed* coniurationes putandae sunt. [44]Cum id quod utile videtur in amicitia cum eo quod honestum est comparatur, iaceat utilitatis species, valeat honestas. Haec ergo lex in amicitia servetur ut neque rogemus res turpes, neque rogati faciamus. Turpis excusatio est et minime [45]*accipienda*, si quis contra rem publicam amici causa se fecisse fateatur. Refert Valerius, quod [46]*cum* quidam [47]Rutilius nomine cuidam amico suo iniuste roganti resisteret isque cum indignatione

---

[1] A *derelictis.* [2] AG *a,* C *et.* [3] A *periculosam.* [4] deest in A. [5] ex A addidi. [6] C *permittat,* A *promittaut.* [7] G *magna pericula.* [8] A *et haec de secundo populari dicta sufficiant.* G *Et haec de fabro dicta sufficiant.* [9] G *Incipit capitulum tertium tertii tractatus. De Lanifice seu notario.* [10] Ex G addidimus. [11] CA *corrigiam.* [12] G *pennatorium.* [13] *facere* in C del. [14] C *sumuntur.* [15] [—] ex A transcripsi. [16] C *vectiarios.* A *confectores, pelliparios, macellatores.* G *edones coriarios, coriorum confectores, pelliparios, macellarios seu barbarios animalium occisores.* [17] G *aut faciunt,* C *faciant.* [18] C *barbari,* A *barbitonseres.* [19] A *cimatores pannorum, venditores carnium ut sunt macillatores et animalium occisores.* [20] ex G. [21] AC *pertinent.* [22] A *sunt utiles multum. Caveant* c. [23] ex AG add. [24] ex AG add. [25] ex A. — C *sub iudicibus tractare subscribuntur.* [26] C *communis,* G *communitati.* [27] A *et super omnes sunt digni honore et gratia.* [28] ex A. add. *illi.* C *quia ad emendum tenentur cui sola dolos.* G *ad. emendam.* [29] A *continuo.* [30] A *legunt et discant atque considerent et si illa statuta, contra deum et iustitiam et iura sunt confecta.* [31] CG *Juris.* [32] C *di ditiore.* [33] G *Australibus.* [34] ex A add. [35] ex G, C *secundas.* [36] Cic. Laelius § 20. [37] GC *utilis.* [38] ex A, G *bonum delectabile.* [39] G *iuventutis.* [40] G *Amicis et non tribuere, quod recte possis, et tribuere quod non sit aequum, contra officium est. Honores* c. C *possit et tribuere.* A *recte possis dare et noli tribuere quod non sit aequum. Contra officium amicitiae sunt honores — quae nunquam* c. [41] ex AG. C *amici tam.* [42] ex AG. [43] ex G addidi. A *immo.* [44] C *Quidquid.* Cic. de Off. III, 10. [45] ex Cic. Lael. 12, 40 et ex AG. [46] ex AG. [47] C *Insilius.* G *Rusilius.* Sed cf. Val. VI. 4, 4.

dixisset: Quid ergo opus mihi est amicitia tua, si quod rogo non facis, respondit: Immo, quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sum. [1]Quandoque amicitia fundatur super utile, quae tamdiu durat quamdiu durat utilitas. Unde Varro in sententiis dicit, quod amicitiae divitum sunt quasi paleae circa gramina. Vis amicum experiri, [2]calamitosus esto. Dixit Seneca de quibusdam, qui Neronem imperatorem sequebantur: Mel muscae sequuntur, cadavera lupi, praedam sequitur ista turba, non hominem. Tullius refert, quod Tarquinius Superbus, quem nepos eius, Brutus nomine, ex sorore natus, de Roma expulit, dum exsularet dixit, tunc primum intellexisse [3]*se*, quos fideles habuisset amicos, [4]*quos* infidos, cum iam [5]neutri gratiam referre posset. Qui utilitatis causa [6]assumptus est, tamdiu placebit, quamdiu utilis erit, et inde amici fugiunt unde probantur. Negotiatio est ista, non amicitia, quae ad commodum [7]*accedit*. Ovidius: Vulgus amicitias [8]utilitate probat. Vix duo tresve mihi de tot superestis amici, Cetera fortunae, non mea turba fuit. Donec eris felix multos numerabis amicos, [9]Tempora si fuerint nubila solus eris. Amicitiam si ergo ad fructum nostrum referimus et non ad [10]illius commodum quem diligimus, non [11]*est* amicitia sed mercatura quaedam utilitatum suarum. Prata, arva et pecudes hoc modo diliguntur, quod ex eis fructus capiuntur, hominum autem caritas [12]gratuita est. Sincerae fidei [13]amici in adversis rebus recognoscantur, in quibus quidquid paratur, totum a constanti benevolentia proficiscitur. Felicitatis autem cultus maiore ex parte adulationi quam caritati arrogatur. Refert Petrus [14]Alfonsus, quod fuit Arabs philosophus, habens unicum filium, quem interrogavit, quot amicos [15]acquisierit. Quodcum ipse respondisset [16]*Multos*, ait pater: Ego iam senex non acquisivi nisi unum, et addidit: Non sit tibi parum, fili, unum habere amicum, nec multum habere multos; expedit enim amicos probatos [17]amare, non amatos probare; et ideo filio mandavit ut occiso porco ac in sacco posito fingeret [18]se hominem occidisse ac singulis amicis, quos fecerat, occulte deferret sepeliendum. Quodcum filius mandatum patris expleret, ac per ordinem omnes amicos suos requisisset, omnesque male, quin immo iniuriose, quod tam periculosam rem eis manifestasset, respondissent, rediit ad patrem nullosque amicos habere necessitatis articulo se probavit. At pater monuit filium, ut ex sua parte requireret unum solum, quem dixerat ac gloriabatur se unicum habere probatum amicum. Ille omnes de domo propria emisit, silentioque facto secreteque [19]*cum* omnia nocturno tempore tuta essent sopitique omnes, ex humo fossam profundam fecisset, porcum, non hominem, pro homine tum sepeliendum suscepit, [20]quod depositum detegens, porcum advertens donum retinuit, quem mortuum hominem susceperat [21]tumulandum. Sic quoque filius patris unicum extunc verum probavit amicum esse, suosque magis felicitatis amatores esse, quam adversae fortunae probavit amicos. Refert idem, quod duo erant mercatores, unus [22]Baldacherius et alter Aegyptius, qui tanta erant amicitia iuncti, ut cum Baldacherius esset in Aegypto et Aegyptius vellet traducere quandam virginem sibi desponsatam in uxorem, pro qua Baldacherius nimio esset captus amore in tantum, ut per ipsam langueret, finaliter a medicis amoris [23]ardor aperitur. Quae audiens Aegyptius uxorem sibi promissam cum dotis summa in uxorem tradidit Baldacherio, volens [24]*potius* uxoris amore, quam amici sui praesentia carere. Cum autem Baldacherius assumpta sibi uxore ad propria remeasset, et ditatus nimium divitiis esset, accidit, Aegyptium ad extremam paupertatem devenisse. Cum ergo mendicando per mundum venisset ad Baldacherium, [25]*eo licet nesciente*, eadem nocte, qua applicuit, eo dormiente in quodam templo, occisus fuit homo iuxta templi ipsius fores. Cumque mendicus Aegyptius facto mane [26]*egrederetur*, iuxta templum tanquam homicida capitur, ac ad quaestionem positus homicidium se perpetrasse fatetur, magis suspendio perire desiderans, quam vitam [27]ducere mortis. Factum est autem ut hora, qua contra eum ferebatur sententia, amicus Baldacherius casu superveniret, et amicum Aegyptium occidendum subtilius attendens cum admiratione cognovit statimque in medium ante iudicem prosiliens, se [28]reum homicidii dignumque morte protestatus insontem Aegyptium absolvere conabatur. At vero tertius, qui in rei veritate homicidium perpetraverat, considerans duorum innocentiam, et divini iudicii timens iram, se praesentavit in medio et duos innocentes absolvens se in veritate facinus fecisse profitetur. [29]At iudex attendens duorum amicorum constantiam [30]et rei veritatem, poenam remisit. Et sic factum est, ut Aegyptius, qui uxorem amico Baldacherio [31]concesserat, quam ipse matrimonio ducere debuit, ut sororem inveniret et poenam effugeret; et cum amico per medium dividens temporalia, honorifice ac fideliter vitam finivit. — Omni honestati et continentiae debent studere. Quia enim praedicti artifices propter eorum officia necesse habent saepius cum feminis conversari, ideo eos decet esse

[1] CG *quandoque fundatur super bonum utile.* A *quandoque amicitia impiorum fundatur esse utile.* [2] G *calamitosus,* C *calamito suo esto.* [3] ex AG. [4] ex AG. [5] G *venturis,* C *ventris,* A *neutri.* [6] A *in amico ass.* [7] ex AG, C *adcommode accepit.* [8] C *ex util.* [9] Trist. I. 5, 9. C *Tempore si fiunt.* A *cum fuerint.* G *si fuerint.* [10] C *aliud,* AG *illius.* [11] ex AG inserui. [12] C *gratuitas.* [13] A *amicitiae.* [14] C *Anfiesus,* A *alfunsus,* G *alfussus.* [15] C *acquisierat.* [16] ex G inserui. [17] ex G, C *habere.* [18] C *sci.* [19] ex G add. [20] C *quem depositum advertens domum retinuit quem m.* G habet eadem atque nos dedimus. A *in sua domo secrete tenuit.* [21] C *cumulandum.* [22] G *Baldacenus.* [23] C *amor.* [24] ex A add. C *volens eum amare uxorem, quam c.* G ut nos edidimus. *A amorem uxoris suae relinquere quam mortem amici sui videre nec ipsa carere praesentia.* [25] ex G add. C *venisset Baldacherius eadem nocte.* [26] ex G add. A *exiit.* [27] G *fame finire.* [28] Sic G. C *rerum.* [29] C *ac.* [30] ex A. C *rei emendam.* G *constantiam et fidei amicitiam, rei vero emendam, poenam remisit.* [31] C *consenserat,* G *tradiderat.*



honestos et castos, ne feminas sollicitent, immo ab ipsis oculis seu nutibus sollicitati fugiant et velut alter Joseph relicta pallii parte in manu feminae, domum incontinentiae fugientes ad castitatem et continentiae fulgorem recurrant. [1]Tertullianus refert, [2]Democritum philosophum excecasse se [3]ipsum, quod mulieres aspicere sine carnis concupiscentia non valebat. Valerius recitat, quod quidam excellentis pulchritudinis adolescens, Spurinna nomine, licet esset castissimus, quia sua pulchritudine [4]plurium feminarum sollicitabat oculos et ex hoc viris parentibusque earum se suspectum esse sentiret, [5]oris decorem vulneribus [6]confudit faciemque totam lanceolis ferroque [7]aravit, deformitatem faciei [8]sanctitatis suae fidem magis quam pulchritudinem irritamentum alienae libidinis esse maluit. [9][Legimus [10]Sanctam Amaliam, eo quod oculorum [11]pulchritudine regem quendam absque tamen culpa virginis sollicitaverat, sibi ipsi oculos eruisse regique sollicitato eos mandasse pro munere.] Platonem philosophum ditissimum legimus patriam et patrimonium reliquisse et academiam elegisse, villam ab urbe procul non [12]solum desertam, sed et [13]pestilentem, ut cura et assiduitate morborum libidinis impetus frangeret, unde et plures eius discipuli sibi ipsi oculos effoderunt. [14][Refert Elinandus, quod Demosthenes stomachum [15]*movit* [16]Laidis nomine, nobilissimae et pulcherrimae meretricis iocando subpalpans et quaeritans hanc: Quanti? Cum illa diceret: Mille denariis, respondit: Ego poenitere tanti non emo.] [17]Quod iuvat exiguum est, plus est quod laedit amantes. Est virtus placitis abstinuisse bonis. [18][Augustinus de Civ. Dei. libr. 1. dicit, quod egregius Romanus nomine Marcus Marcellus, qui Syracusanam urbem ornatissimam cepit, fertur eam flevisse interituram et ante eius sanguinem suas illi lacrimas effudisse. Gessit autem et curam pudicitiae [19]et honestatis servandae, nam priusquam oppidum victor iussisset invadi, constituit edicto, ne quis corpus liberum violaretur.] — Veritatem [20]attendant, qua intentio et sermo et actus hominis [21]invicem in bono concordant, nec in nullo inter se dissentiunt. Unde verissime dicitur, quod veritas non habet [22]angulos. Ipsa enim est virtus, qua quis omni terrore vel fraude [23]seposita cum quadam specie [24]libertatis, quae recte sentit, effatur. [25]Valerius refert Maximus, quod cum tyranni Dionysii omnes Syracusanae interitum optarent, quaedam [26]ultimae senectutis femina sola quotidie matutino tempore Deos orabat, ut incolumis ac sibi superstes esset Dionysius. Quae audiens Dionysius interrogavit causam. At illa: Puella, inquit, cum essem et gravem tyrannum haberem; carere ipso cupiebam. Successit peior, et illo carere [27]*cum* cuperem, tertium te importuniorem ceteris habere coepimus. Timens ergo deteriorem tibi succedere, caput meum pro tua salute devoveo. Tam facetam veritatis audaciam Dionysius punire erubuit.[28]

[29]Ante regem [30]quartum popularem situatum noverimus in hac forma: Nam in humana specie fuit, habens in manu dextra libram cum pondere, in sinistra brachium mensurale, in cingulo bursam cum pecunia, paratam ad [31]respondendum poscentibus. In isto repraesentantur mercatores pannorum, telarum et quarumcunque [32]rerum, quae cum brachio mensurali mensurantur, campsores, pecuniarum commutatores, [33]et haec in libra et pondere, [34]depositorum receptores et pecuniarum, et haec in bursa. Hi omnes debent [35]fugere avaritiam, [36]delicta cavere, promissa attendere et servare, in integrum debent deposita sibi commissa restituere. Ante [37]regem congrue situantur, quia thesauris regis debent praeesse et pro rege militibus in stipendiis respondere. Caveant ergo avaritiam, quae est idolorum servitus, de qua dicit Tullius: Avaritia est cupiditas acquirendi et retinendi vel ultra necessitatem immoderatus amor habendi. Hoc enim vitio nullum deterius est, maxime in principibus et rem publicam gubernantibus; hoc enim omnem hominem ad quodvis malum impellit, [38]*et* maxime in senibus regnat. Quomodo autem hoc contingat in eis, non intelligo. Quid enim absurdius esse potest quam [39]quo minus restat viae, eo plus viaticum quaerere. [40]In Proverbiis Sapientis: Avarus [41]nisi cum moritur, nihil recte facit; cui nihil optes [42]*mali* nisi quod vivat diu. Nulli avarus bonus est, sibi malus, [43]inopi pessimus. Negandi causa nunquam avaro deficit. Refert [44]Seneca, quod ab Antigono cynicus petiit talentum; respondit Antigonus plus esse quam quod cynicus [45]petere deberet. Repulsus petiit denarium, respondit minus esse quam regem deceret dare. Turpissima certe huiusmodi cavillatio; invenit quomodo neutrum daret; in denario regem, in talento cynicum respexit, cum posset denarium tanquam cynico [46]*dare* et talentum tanquam rex exhibere; nihil tam exiguum est, quod non honeste regis humanitas tribuat. Avaritia cupiditatis pars, genus est

---

[1] C *Cerculanus.* [2] C *Demetricum.* [3] sic A, C *in sinu.* [4] C *plurimum.* [5] C *eius,* A *oris.* [6] C *confundit.* [7] A *incisit.* [8] C *sanctitatem.* [9] [—] desunt in E. [10] A *de quadam Sancta momale.* C *Sciomalem.* [11] C *pulchritudinem.* [12] C *semel.* [13] C *pestilentiae,* A *pestiferam,* G *pestilentem.* [14] [—] desunt in E. [15] *movit* ex coniectura addidi. [16] CA *laudis.* [17] GA. Cf. *Ovidius* Ars am. II, 515. Heroid. 17, 98. [18] [—] desunt in G. [19] C *etiam inhoneste serv.* A *Edidit et sensit pudicitiam et curam honestatis servandae.* [20] A *attendant artisti.* [21] G *invicem,* C *nunquam.* [22] G *angelos.* [23] C *seposita,* A *deposita.* [24] C *libertate,* G *liberalitate.* [25] VI, 2. extr. 2. [26] C *utilis,* AG *ultimae.* [27] ex G add. [28] A *et haec de tertio populari dicta sufficiant.* G *et haec de Lanifice dicta sufficiant.* [29] G *Incipit quartum Capitulum tercii Tractatus De Mercatoribus et capsoribus.* [30] G *querunt.* [31] G *reddendum.* [32] AG *rerum et haec in brachio mensurali.* [33] C *etiam* pro *et haec.* [34] sic G, C *depositares, receptores pecuniarum.* [35] AC *fingere.* [36] AC *de vita.* [37] C *enim* del. [38] ex A, G *maximeque.* [39] C *quod.* [40] C *ex.* [41] C *nisum cum.* [42] ex G, A *malum.* [43] C *incipi.* [44] de Benef. II, 17. [45] C *peteret debet.* [46] ex AG.



omnium libidinum. Refert [1]Josephus XIII. li. Antiquitatum, quod fuit Romae Paulina nomine, maiorum dignitate praelata, studio castitatis intenta, honestatis opinione perspicua, opum magnitudine locuples et vultu decora, ea aetate quum mulieres de pudicitia gloriantur. Haec nupta [2]Saturnino nomine, genere opibusque ceteroque cultu consimili. Huius amore detinetur miles quidam emeritus nomine [3]Mundus, qui eam muneribus promissis, facetiis diversis sollicitans, mulieris pectus marmoreum nequit [4]flectere. At Mundus, ardens magis eo quod sibi [5]cernit negari, lecto decubuit mortique [6]*se* adiecit, hoc unum sibi iudicans tanti mali [7]*fore remedium.* Erat autem Mundo liberta quaedam nomine Ida, omnium [8]malarum iniquitatum coagulum, quae dure ferens domini sui Mundi periculum, ei promisit, si de lecto surgeret et consilio suo assentiret, quod Paulinae tractaret cum effectu concubitum. Cumque gaudens surrexisset de lecto, quinque myriades Ida liberta requirit, non tantas quantas Paulinae Mundus ipse spoponderat, [9]si dilectioni suae [10]praeberet assensum; acceptaque pecunia Ida liberta avaritiam sacerdotum Isidis cognoscens duas promisit principi sacerdotum et dimidiam, si tacite secreteque posset efficere, ut Mundus amator ardentior Paulinae gaudere posset amplexibus. [11]At ille ardens avaritia et [12]peremptus pecunia, accersita Paulina finxit, se de Aegypto de Anubio deo Aegypti destinatum [13]dicere, ipsum grandi amore Paulinae teneri, et ideo sibi mandata dedisse, ut Paulinae Romanae de amore [14]nuntiaret. Quae illa audiens, libenter nuntium suscipiens, ad [15]amicos, maritum et vicinas gloriando [16]*dixit*, quod ab Anubio tali merito iudicetur, quod ab ea thorum et coenam Anubius concupiscat. Maritus autem grate concessit, pudicitiam coniugis non ignorans. Illa [17]igitur pergit ad Isidis templum, ibique clam coenavit thorumque paravit. Cumque quiescendi tempus venisset, universae templi ianuae a sacerdote avaritia seducto et stupri conscio obserantur, cunctaque luminaria exstinguuntur. Mundus autem amator ardentior latuit in abscondito templi et obscuro, et opportuna hora ad iacentem Paulinam ac exspectantem deum Anubium silenter pervenit. Illa autem existimans deum esse, reverenter accepit atque ita cum ea Mundus pernoctans circa vicinia lucis abscessit. Illa autem mane facto ad maritum, ad vicinas perveniens se gloriabatur cum deo Anubio tota nocte carnaliter pernoctasse verbaque [18]Anubii audita referebat. Sed ex audientibus alii non credebant, naturam rei inspicientes, alii autem [19]credebant, quidam autem ut miraculum mirabantur mulieris pudicitiam attendentes dignitatemque referentes. Tertio vero die postquam haec facta sunt, occurrit Paulinae Mundus, infestus amator et fraudulentus pudicae feminae corporis attrectator, dicens: O Paulina, salvasti mihi viginti myriades, quas potuisses per me promissas familiaribus rebus tuis adicere. Nunc nec meis [20]postulationibus defuisti et [21]a damnificatione liberasti, nam in templo Isidis tota [22]nox a te cum Mundo peracta est. Nec mei nominis aliquid interest voluptate percepta, nihil enim ad perficiendum negotium [23]obfuit, quod Anubius vocitatus sum. Et hic quidem talia locutus abscessit. Illa vero in mentem rediens tunc primum facinus illud intellexit et scissis protinus vestimentis ad virum cucurrit, [24]factionemque apperuit tanti facinoris, deprecata ne suam iniuriam negligeret. [25]At ille cuncta per ordinem imperatori denuntiat. Tunc Tiberius imperator causam diligenter examinans universam avaritiam et scelus sacerdotum invenit et ipsos quidem cum [26]Ida, quae causa totius iniquitatis [27]exstiterat, adegit in [28]secretos, ipsum autem templum funditus evertit, statuamque Isidis in fluvium Tiberim iactari praecepit; Mundum vero exsilio perpetuo damnavit dignum eum maiori poena non iudicans, eo quod amoris vehementia deliquisset. — Legimus quod fuit mulier quaedam solitariam vitam ducens, quae congregata [29]auri quantitate domi fossa [30]humo facta abscondit. Sed post mortem eius, cum hoc ad notitiam episcopi pervenisset, de mandato eius aurum in eius [31]sepulchro est proiectum. At postquam hoc aurum sepultum fuit tribus diebus [32]illa misera clamare auditur, [33]maximo se dicens consumi incendio. Cum autem multis diebus vicinos [34]*multipliciter* molestasset, de episcopi mandato ad eam extumulandam venitur, apertoque tumulo aurum collatum et liquatum in ipsius [35]ore igne [36]*et* sulphure reperitur, ut verum sit illud: aurum sitisti, aurum [37]bibisti. Corpus vero avarissimae mulieris fetidissimum arreptum de tumulo in cloacam proiecerunt. Seneca in declamationibus: [38]mulierum vitiorum fundamentum est avaritia. Valerius Maximus[39]: Avaritia latentium indagatrix lucrorum, manifestae praedae vorago avidissima, neque habendi [40]fructu felix est et quaerendi [41]cupiditate miserrima. Haec autem omnia [42]Septimuleius nomine possidebat, qui cum esset [43]familiaris cuidam homini nomine [44]Gracchus intantum exarsit avaritia, ut ad sponsionem auri, quod sibi quidam [45]Opimius nomine promisit, non est veritus, caput Gracchi [46]amici sui abscindere ac per urbem palo fixum

---

[1] XVIII, 3, 4. Oberthür. II. pag. 874. [2] C *Sarcimio*, G *Saturnio*. [3] A *Omondus*. [4] C *refulcere*, A *flectere*, G *inflectere*. [5] C *cerius*, AG *cernit*. [6] ex AG. [7] ex AG. [8] Sic AG, C *malorum*. [9] G *nam et viginti myriadas Paulinae spoponderat, si* c. [10] C *probaret*. [11] C *ac*. [12] C *permotus*. [13] CG *dicens*. [14] CG *portaret*, A *nunctiaret*. [15] G *amicas*. [16] ex A, G *denuncians*. [17] C *sibi*, AG *igitur*. [18] G *quae ei Annubius dixerat, indicabat*. [19] ex G, C *credentes*. [20] G *petitionibus*. [21] G *damnificationem liberasti*. [22] sic G, C *nocte*. [23] C *obsint*. [24] sic G, C *factoremque*. [25] C *ac*. [26] CG *eadem*, A *Ida liberta*. [27] C *existeret*, A *exstitaret*. [28] G *cruces*. [29] G *magni auri quant*. [30] G *humo*, C *humi*. [31] G *sepulchrum*. [32] A. — CG *se miseram*. [33] G. — C *maxime*. [34] ex G. [35] G *os*. [36] ex A. [37] G *bibe*. [38] E *multorum*. [39] Valer. VIII, 4. 1. et 3. [40] AC *fructum*. [41] C *cupidi*. [42] C *Septem milus*, E *Septemolus*, A *septimolis*. [43] A *famulus*. [44] C *graccus*, E *gractus*. [45] C *Sponicosus*, E *Spumocosus*, A *Spimocius*. [46] A *domini*.

ferre. Insuper etiam cavatam partem capitis, quo ponderosius esset, liquato plumbo implevit, ut ipsius pondere aurum sibi promissum [1]haberet. Odiosa haec Septimulei avaritia; [2]Ptolemaei vero regis Cypriorum [3]*risu* prosequenda. Nam cum [4]anxiis magnas opes corripuisset cum sordibus ac propter eas periturum se videret ideoque omni pecunia [5]navibus imposita in altum processisset, ut classe perforata suo periret arbitrio et [6]hostis praeda sua careret, aurum et argentum mergere non sustinuit sed futurum necis suae praemium domum [7]revexit. Hic procul dubio non [8]*possedit* divitias, sed a divitiis possessus est, titulo quidem rex insulae Cypri, animo vero pecuniae miserabile mancipium. Ex Proverbiis Sapientum: Pecuniae oportet imperare, non servire; pecunia si uti scias, ancilla est; si nescias, domina; pecunia non [9]satiat avarum, sed irritat. Salustius: Avaritia fidem et probitatem ceterasque bonas artes [10]subicit et pro his superbiam et crudelitatem, deum negligere, omnia habere venalia docuit. — Caveant [11]omnino nimia contrahere debita. Ambrosius de Tobia: Paupertas non habet crimen, sed debere verecundum est, non reddere verecundius. [12]Dives es, pauper es, non sumas mutuum; si dives es, nullam pateris petendi necessitatem; si pauper, cogita solvendi difficultatem. Ex Proverbiis Sapientum: Fraus est accipere quod non [13]possis reddere. Seneca: Primo docendi sunt, qui libenter accipiunt, libenter reddere et eos quibus obligati sunt, re animoque non tantum [14]aequare, sed etiam vincere. Itaque si beneficia gratis collata reddenda sunt, multo fortius mutua. Sed quia multi [15]ingrati amici quidem videntur esse in petendo, sed inimici sunt in reddendo, ideo [16]Demas philosophus dicit: Amico me rogante pecuniam mutuo, et ipsum et pecuniam perdo. Si tibi pecunia custodienda committitur, cum exposcitur, reddere [17]non differas, [18]moras non requiras. Saepe quod utilitati adicis, [19]famae tuae subtrahis; sic unde [20]attendas lucrum, [21]consequeris damnum. Erat apud Januam mercator et campsor quidam [22]Obertus Guterinus nomine, [23]Astensis natione. Hic tantae legalitatis [24]exstitit, ut cum quidam quingentos [25]aureos apud eum se deposuisse mendaciter assereret, illeque minime super hoc in cartulario scriptum aliquod reperiret nullosque mendosus depositor testes induceret et mercator fidelissimus diceret, se depositum minime recepisse, illeque clamans vociferare vellet, [26]Obertus mercator praedictus statim eum vocavit dicens: Tace, fili, accipe quingentos aureos, quos te penes me deposuisse affirmas. Maluit enim iniuste pecuniam perdere quam sui nominis bonae famae aliquid detrahere. Cumque ille abiisset et pecuniam [27]in damnum animae perceptam lucris exposuisset diversis, accidit ut ex ea [28]libras XV lucraretur. Qui cum morti appropinquasset liberisque careret, suum in omnibus fidelissimum [29]Obertum mercatorem heredem instituit, asserens ex quinquagentis aureis, quos fraudulenter receperat, tot ac tantas coacervasse pecunias. Sic factum est dei iudicio disponente, ut qui prius pecuniae susceptae fuerat latro, mercatoris [30]fidelissimi fieret procurator.[31] Qui dat beneficia, deum

---

[1] C *haberet* in margine additum. AE *acciperet.* [2] C *Et Tholome sbo regis syptorum.* E *Tholomei vero.* [3] ex AE et Valer. IX, 4. extr. 1. [4] restitui ex Valer. loco l. C *Nam cum anthonius eum magnas opes habere conspiceret et corripuisset cum sordibus ac propter eas* c. Eadem leguntur in E, nisi quod *et corripuissot eum super sordibus* habet. A *Nam cum anthenis imperator illum magnas opes habere conspiceret et eum corripuisset et per sortes repeririet quod propter illas opes periturus esset* c. [5] C *manibus.* [6] A *et anthenis hostis,* CE *et Antonius hostis.* [7] C *devexit.* [8] ex A. Deest in CE. [9] CE *faciat.* [10] A *subvertit.* [11] C *omnes in una.* A *omnes se nimia.* [12] C *dives pauper est.* A *si dives es cogita solvendi vel reddendi difficultatem.* [13] AE. — C *possit.* [14] CA *aequa re.* [15] E *grati.* [16] C *deucas.* [17] A *ne.* [18] C *et,* A *nec.* [19] CE *aldicis et.* A *Saepe enim accidit ut quod tuae utilitati addicis, tunc tuae bonae famae detrahis.* [20] AE *attendis.* [21] E *consequaris.* [22] E *cobtus,* A *Obertus de Gutuerus.* [23] C *Abstensis.* [24] C *existit.* [25] A *florenos.* [26] E *Cobtus.* [27] C *et damn.,* A *in d.,* E om. [28] E *sedecim milia,* A *decem milia.* [29] nomen deest in E. [30] A *fidelis.* [31] In A leguntur haec: *Sed e contra multi sunt mercatores nomine quidem, qui in servandis depositis videntur esse fideles, sed cum opportunitatis causa aderit, deposita sibi commissa negare non erubescunt. Unde legimus, quod fuit quidam mercator, qui in servandis depositis erat fama praeclarus, sed ubi aderat opportunitas fur erat et latro.* (*Qui*) *cum quidam extraneus famam suam audiens, eidem multum thesaurum servandum reliquisset* (*Et*) *post tres annos Ille ad mercatorem rediit et suum depositum sibi requisivit. Mercator vero ille sciens nec illum testes habere nec super hoc aliquam scriptam ab eo habere, tunc ille negans, se illum cognoscere minime asserebat.* (*Qui cum*) *ille audiens responsionem tristis et moestus rediebat. Cui* (lege *Cum*) *enim sibi obviisset quaedam vetula causam tantae tristitiae ab illo sciscitatur. Cui respondit: Quid tibi, mulier? vade in pace. At illa dixit: obsecro ut causam tantae tristitiae mihi enarres, qui* (lege *quae*) *forte tibi saluberrimum consilium dare potero. Tunc ille homo totum suum infortunium sibi narrat per ordinem. Cui sagax et prudens vetula sibi dixit: Habesne aliquos amicos fideles in hac civitate? Ille respondit: Habeo plures. Tunc illa dixit: Vade et dicas eis quod emant cofina pulchra picta et ipsam impleant rebus vilibus et fingant, in illis lapides pretiosos et thesaurum penes illum velle deponere et quod habeant ad partes multum remote ire et quod de sua magna legalitate confidunt. Illis igitur sic cum mercatore loquentibus tum statim superveniens et depositum tuum, quod sibi tali tempore apud illum deposuisti, repetas. Spero enim quod ipse magis lucrum* (fortasse *maius lucrum respiciat*) *et propter praesentiam amicorum tuorum sibi legalitatis* (fort. *sibi et legalitati*) *suae impendentium quod* (fort. *et pro quod*) *propter verecundiam statim tibi integre tuum thesaurum restituat. Cave tamen ne ille noverit, illos tuos esse amicos. O magnum mulieris consilium, mulierum enim naturale est in dubiis prompta habere consilia bona. Abiit ergo homo ille et iuxta consilium mulieris fecit. Et cum eius amici cum mercatore loquentibus de ficto thesauro apud illum deponendo ille supervenit et suum depositum sibi quaesivit. Tunc mercator ille dixit: Bene te recognosco et depositum tuum bene custodivi. Et factorem suum vocat et dixit: Vade cito et da huic depositum suum. Tunc ille homo depositum suum gaudens accepit, et infidelis mercator a sua defraudationis malitia vacuus remansit. Seneca docet praecipue debere beneficia bene solvere. Interdum autem solum* (? *solutio*) *est una confessio. Viro sapienti notum est quanta res taxanda est et omnia secum examinabit quam accepit a quo quando et ubi et quae ad deum* (? *et quem ad modum*). *Quaeris quid tibi faciat oblivionem acceptorum? cupiditas accipiendorum. Et haec de mercatoribus dicta sufficiant.* Quae supra (—) inclusi, ea delenda esse arbitror.

imitatur, [1]qui recipit [2]fenerator est. Seneca [3]docet philosophum praecipue debere beneficia bene solvere. Interdum autem solutio est ipsa confessio. Viro sapienti notum est quanti res [4]quaeque taxanda est. Et omnia secum examinabit, quam accepit, a quo, quando, ubi et quem ad modum. Quaeris, quid nobis [5]faciat oblivionem acceptorum? [6]Cupiditas [7]accipiendorum. [8][*Haec de mercatoribus dicta sufficiant.*]

[9]Collocantur medici et pigmentarii ante reginam in hac forma. Nam in cathedra magistrali [10]situatus est homo, habens librum in manu dextra, urceolum pigmentarii in sinistra. In corrigia seu cingulo habuit ferramenta vulnerum et ulcerum. Per hos intelliguntur physici et haec [11]per librum, per quem etiam accipiuntur grammatici, logici, rhetorici, geometrici, musici et astrologi, nam perfectus medicus physicus litteraturam grammaticae, propositiones, assumptiones et conclusiones dialecticae, prolocutiones et facetias ac urbanitates rhetoricae, situationes et dimensiones [12]geometricae, horarum dierumque [13]criticorum numerum [14]arithmeticae, [15]harmoniam corporis physici et maxime pulsatilium venarum quandam harmoniam musicae, in dandis vero medicinis et minutionibus faciendis lunationes astrologiae scire necesse est. In urceolo signantur pigmentarii et medicinarum confectores ac pulverum [16]*et* specierum aromaticarum coadunatores. In ferramentis, quae in cingulo [17]deferunt, medicos chirurgicos [18]significari dicimus. Horum omnium primi [19]theorici speculatores sunt, ultimi duo practici seu operativi vocantur. Medicos physicos studiosos et sollertes esse circa scientias necesse est. Cum enim vita humani corporis quodammodo sit in manu medici, [20]nisi peritiam [21]multarum scripturarum habuerit, potius si medicinae [22]arti operam dederit, magis occisor hominum quam aegritudinum curator poterit existimari. In eis debet esse morum [23]humanitas, verborum [24]urbanitas, corporis castitas, ad [25]infirmos multa sanitatis promissio, frequens [26]visitatio, curarum causarum signorum aegritudinis requirendorum in libris auctorum, maxime Hippocratis Galeni Avicennae [27]et Rasis sollicitudo multimoda. Cum ad infirmum multi conveniunt simul, non se litigatores aut disputatores exhibeant, ne videantur magis mundi famam quaerere dum disputando vicisse videntur, quam discumbentis salutem tractare. Miror cur inter eos, cum maior [28]infirmo incumbit necessitas sanitatis, fiat contrarietatum obiectio, cum tantum de corpore hominis et vita ipsius causa ventiletur. Et ille sapientiorem [29]se reputat, qui subtiliores et plures contrarietates adducit; e contra inter iuris doctores ubi non de vita hominis sed de rebus temporalibus extra hominem causa tractatur, ille prudentior reputatur, qui per suum consilium discordes scit concordare. Tollant igitur medici controversiam animorum, ne magis apparere studeant, quam curare. Ante reginam vero medicus statuitur, ut [30]castitatem in corpore habere signetur. Cum [31]enim reginarum [32]ceterarumque feminarum aegritudines [33]mederi habeant, occultaque verecundaque quandoque inspicere, castos esse necesse est. Monemus [34]etiam, ut exempla quae sequuntur inspiciant ac exempla castorum virorum castitatem [35]sectando aliis pudicitiae sint exemplum. Refert Valerius, quod [36]Hippocrates mirae exstiterit continentiae. Nam apud Athenas scortum erat nobile facieque decorum, cui iuvenes [37]et adulescentes lubrici spoponderunt talentum, si [38]Hippocratis animum ad incontinentiam potuisset inflectere. Quae ad eum nocte veniens accubuit iuxta eum, nec tamen eius continentiam in aliquo labefecit. Cumque eam deriderent, quod illius animum illecebris flectere non potuisset, pretiumque victoriae repeterent, illa respondit non de statua sed de homine pignus posuisse; vocavit enim philosophum et medicum statuam propter eius immobilem continentiam. Hoc idem recitat [39]de [40]Xenocrate philosopho, quod cum ei mulier decumbenti [41]nimium nocturno tempore fuisset infesta et ille [42]*in* castissimo firmoque proposito immobilis permaneret in tantum, ut nec humerum ad eam verteret, illa se despectam conspiciens confusa discessit. Cornelius Scipio missus ad Hispaniam eo momento, quo castra intravit, omnia quae voluptatis causa erant, iussit tolli, unde et duo milia scorta leguntur abiisse [43]ab exercitu. Noverat enim vir [44]industrius, quam voluptas animos [45]effeminat et enervat corpus voluptati subiectum, unde et in fabulis poëtarum dicitur, quod fontem Sirenarum ingredientes eos [46]enervabant et viris effeminatis sexum [47]adimebant. Et hoc dictum fuit in figura voluptatis, sicut dicitur in libro V. de Nugis Philosophorum. Curas aegritudinum attendant. Quae cum fiant aut per simile ut in chirurgia, cum rotundo vulneri [48]linteolum rotundum adhibetur et longo longum, aut per contrarium ut in physica [49]*ut* calidum frigido, aut gaudium tristitia

---

[1] *qui rec. fen. est* desunt in E. [2] C *fenator.* [3] Ep. 81. — CE pro *philosophum* habent *philosophia.* [4] C *quae,* A *quanta res taxanda est.* [5] C *faciet.* [6] E *respondeo Cupiditas* c. [7] C *capiendorum.* [8] ex E. [9] E *Incipit capitulum quintum tertii tractatus de medicis et pigmentariis.* [10] E *collocatus,* A *collocantur.* [11] E *in libro.* A *pro libro intelliguntur logici, rhet.* c. [12] E *geometriae,* A *geometrici.* [13] CE *creticorum.* Correxi. [14] CE *arismeticae.* A *arismetrici alinoniam pulsarum in dandis* c. [15] E *armoni corporis phisici tamquam quandam armoniam musicae.* C utroque loco *armonia — quadam armonia.* [16] ex A. [17] AE *defert.* [18] E *signare,* A *signari.* [19] A *rhetorici.* [20] C *ubi.* [21] E *multam.* [22] C *arte.* [23] A *maturitas.* [24] A *facundia, cordis* c. [25] C *infirmo. ad* expunctum est. A *infirmis.* [26] A *visitatio curarum et causas signa aegritudinis requirere* c. Fortasse legendum est *curarum causa signorum* c. [27] In AE deest *et rasis.* — Ceterum significatus est medicus ille celeberrimus Arabs Abu Bekr Muhammed Ben Sacharia al Rasi, de quo Hamberger III, 714. [28] C *infirma.* [29] C *ne reputas. se* et *t* suprascripta sunt. [30] A *castitatem cordis habere.* [31] C *igitur.* [32] C *certarum.* [33] C *medere.* [34] A. — C *enim.* [35] C *servandae,* A *servando.* [36] ACE *ypocras.* sed cf. Valer. Max. IV, 3. ext. 3. de *Xenocrate.* [37] ex E. — A *iuvenes scolares.* [38] ACE *ypocratis.* [39] A *Valerius de* c. [40] CE *Senocrate,* A *Socrate.* [41] C *in minimum.* [42] ex A. [43] C *in.* [44] CE *industris.* [45] C *et feminas.* [46] E *enumerabant.* [47] C *adimebatur,* E *adunabant.* [48] E *lanceolum.* [49] ex AE.

aut tristitia laetitia est curanda. Multi enim gaudio perierunt aut prae [1]nimio gaudio membrorum usu destituti contracti sunt. Dicamus ergo hic primo, quid sit gaudium et quo gaudio [2]nimio aliquis mori potest. Gaudium est diffusio animi in apprehensione [3]convenientis seu delectabilis. Omnes enim tendunt ad gaudium, sed [4]*unde* [5]stabile magnumque consequantur, ignorant. Et sapiens nunquam sine gaudio est. Gaudium enim [6]homini non nascitur nisi ex virtutum conscientia nec interrumpitur nec desinit. Quod enim non [7]dedit fortuna, non eripit. Martialis Coquus: Gaudia non remanent, sed fugitiva volant. Narrat Valerius libro [8]IX, quod vix verisimile [9]*et* credibile videtur, quod in eripiendo vitam e corpore idem possit facere [10]mors et gaudium, quod fulmen valuit. Nam nunciata clade, quae Romanis accidit apud lacum Trasimenum, cum mulier [11]Lina nomine, putans virum suum ea clade periisse eoque [12]insperato redeunte, ad ipsam domus suae portam [13]illi obviam facta tanto est evecta gaudio, ut in illius conspectu statim [14]exspiraverit. Altera quoque cum falso mortis filii sui nuntio moesta domi sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata est. Sic quoque quas dolor non exstinxit, consumpsit laetitia. [15]Sed minus mirum, quod mulieres! [16]Iuventius Thalna quidam nomine [17]cum in Corsica, quam insulam nuper subegerat, diis sacrificaret, receptis litteris, quibus ei a senatu certae supplicationes nuntiabantur, [18]*intento* ille animo legens orta caligine ante [19]foculum collapsus mortuus est, quem quid aliud quam nimio gaudio putamus [20]periisse. [21]Philomeni sive Polemoni vis immoderati risus vitam abstulit. Huic remedium gaudio Hippocratem medicum invenisse legimus. Nam cum [22]diuturnam moram extra patriam propter sapientiae amorem contraxisset, percrebuisset autem fama et opinio summae sapientiae apud parentes et patriam, cum domum rediret et patriae propinquaret, nuntium de suo adventu [23]mittens nuntiavit parentibus, Hippocratem privatum oculorum lumine ad patriam remeare, ut laetitiam de reditu, animos parentum oculorum privatio [24]nunciata [25]temperaret. Putabat enim eos evectos laetitia morituros. Legimus Titum Vespasiani filium in castris circa Hierosolymam residentem audivisse, Vespasianum patrem suum totius senatus voluntate ad imperii gubernacula sublimatum. Ea propter tanto [26]evectus est gaudio, ut subito membrorum corporis fortitudine destitutus, [27]obriguere membra fierentque contracta. [28]At Iosephus videns, [29]qui Romani contra Iudaeos belli texuit historiam, medicus peritissimus, causam aegritudinis intelligens requisivit, si [30]toto in orbe erat aliquis aemulus, cuius nomen Titus nominare abhorreret. Quod cum quidam Iosepho [31]Iudaeo [32]intimavisset, esse hominem, cuius nomen Titus in tantum abhorrebat, quod nec eum in sua curia aliquis nominare auderet, eum fecit venire et statuto die mensam fertilissimam ante Titi oculos fecit parari, pincernas quoque et dapiferos iuvenes adunari, mandavitque occulte, ne ad praeceptum Titi [33]aliquis parere praesumeret. Sic autem omnibus ordinatis aemulum Titi fecit cum honore omni et imperiali reverentia in mensa locari et sibi [34]a iuvenibus affectuose deserviri. [35]At Titus hominem inimicum aspiciens ita coepit velut ignis accendi mandabatque servis hominem [36]occidere. Cumque nullus sibi [37]obedire auderet, quin etiam inservire, in tantum succensus est ira, ut qui corporis usu carebat, [38]sana membra reciperet et usum membrorum haberet ut prius. Attendens autem aemulum suum venisse, ut eo viso curam corporis reciperet, non inimicum putavit, sed ut sincerum amicum sibi postmodum postulavit seu copulavit. — Pigmentarii vero curam gerant sollicite, quae eis mandantur [39]*a* medicis sollicite adimplere, ne oblivione vel diversis causis occupati, in medicinis vel confectionibus unum pro altero, vel alterum [40]proponentes hominum se praebeant occisores. — Fallaciam fugiant, ne [41]sophisticantes aromata fures potius quam pigmentarii iudicentur. Unguentarii debent facere unguenta [42]suavitatis et unctiones conficere sanitatis. Venenosa simplicibus, etiam ipsis requirentibus, vel [43]suspectis nullatenus pretio quocunque tribuant, ne malitia ducti ad damnum proximorum illa convertant fiantque participes criminis ii, qui gerere debent curam salutis. Chirurgici quoque compatientes sint aegris [44]nec faciles se praebeant incisores vulnerum vel ulcerum, [45]ne perdita fama carnifices dicantur potius quam vulnerum sanatores. Hi omnes cum omnium aegrorum curam gerant, sui ipsorum prius habeant, ut purgatis animae passionibus moribus se [46]sanos praebeant. Quae autem sunt illae? Boethius de consolatione libro I. ostendit dicens: Nubibus atris condita nullum fundere possunt sidera lumen. Tu quoque si vis lumine claro cernere verum, [47]tramite recto carpere callem, gaudia pelle, pelle timorem spemque fugato nec dolor adsit, nubila mens est haec [48]ubi regnant.

---

[1] C *minimo.* [2] C *minimo.* [3] C *comprehendentis.* [4] ex E. [5] C *instabile magistri quia cum secuntur.* [6] E *hoc.* [7] E *laedit.* Mart. Ep. I, 16, 8. [8] C *XI.* cf. Valer. Max. IX, 12, 2. [9] ex E. [10] C ex rasura, antea *amor* lectum esse videbatur, ut in E. [11] E *Liva,* A *lyna.* [12] C *insperato rediisse vel redeunte.* [13] aliena manu suprascript. *mulier.* [14] CA *expiravit.* [15] Haec clausula deest in A. [16] C *Instabulosus,* E *Instalosus,* A *Istaulosus;* depravatum ex Valerii *Ius. Thalna. Consul.* [17] C *tamen.* [18] ex AE. [19] E *oculum,* A *oculis.* [20] In C suprascript. — E *evectum,* A *eventum.* [21] Clausula deest in A. [22] E *diutinam.* [23] E *praemittens.* [24] CE *nuncia.* [25] C *compararet.* [26] E *evecto.* [27] A *obstupescerent.* [28] C *ac.* [29] C *quod rom. nam peritissimus.* Dedimus E et A, qui nisi collocatione verborum inter se non differunt. E *texit.* [30] CE *Tito,* A *toto.* [31] deest in AE. [32] C *intimari sed.* [33] C *aliquid parare.* [34] C *advenientibus.* [35] C *ac.* [36] C *occidi.* [37] Quae in C inserta sunt, *mandato aemulo* in E non leguntur. A *cumque illo mandante a nullo obediretur, imo illi aemulo tunquam domino ministrabant.* [38] C *membra contracta haberet.* E *membraque haberet contracta,* quod aut omittendum est cum A, aut scribendum *membra cum haberet contracta.* [39] ex E. [40] C *praeponitur,* E *postposito,* A *vel altero proposito.* [41] C *sophismaticantes.* [42] C *sua.* [43] C *suceptis.* [44] A., CE *ne.* [45] A., CE *ut.* [46] C *satis.* [47] C *tramitte retro,* A *Si mare volvens*

[1]Sextus scachus ante alphilem hanc formam accepit. Nam fuit homo habens manum dextram extensam ad modum invitantis, in sinistra manu habens panem et [2]vinum, in corrigia habens claves. Hic repraesentat tabernarios hospitalarios rerumque custodes. *Hi* ante alphilem tanquam ante iudicem [3]sunt positi, quia saepe inter eos *rixae et tur*bationes ortae per alphilem, regis iudicem [4]solent tractari et libra *iustitiae* quietari. Horum enim officia sunt, bona cibaria procurare ementibus. — *Curiales* debent esse ad *venientes.* Omnia quae a supervenientibus deferuntur, salva *per eos* et sub certa custodia deponantur. Primum [5]horum [6]repraesentant claves dependentes in cingulo. Hi gulae vitium fugiant. Quanto plures enim edendi bibendique causa ad eos descendunt, tanto cibi et potus *se parcitate* restringant, ut ad eos *venientes eorum exemplo necessaria* non superflua *quaerant* [7]corpori. Saepe enim ex crapula oriuntur rixae, oculorum [8]suffossio et iniuriarum [9]*actio* atque perpessio. Debet [10]enim homo - edere et bibere ut vivat, *non vivere ut edat et bibat.* Taurus paucissimorum iugerum repletur pascuis, una silva *elephantibus pluribus* sufficit, homo vero terra et mari pascitur, verumtamen non *fames* ventris magno constat, sed ambitio. Unde dicit Quintilianus: In grandibus cenis hoc saepe nobis *accidit*, ut cum optimis satiati sumus, varietas tamen ex vilioribus grata sit. Et [11]Lucanus: O prodiga rerum Luxuries [12]nunquam parvo contenta *paratu Et quaesitorum pelago terraque* ciborum Ambitiosa *fames et lautae* [13]gloria mensae. Discite, *quam parvo liceat producere* vitam. Cato: *Indulgere* gulae *noli*, quae ventris amica est. Venter *enim et genitalia* proxima sunt, sic et gulae vitium luxuriam [14][*parit. Pessima pestis luxuria, ex qua*] [15]*causatur mentis hebetudo*, quae est *acutae* rationis obtusio, [16]carnalis intemperantiae vitio crassis sensibus inducta. Quid autem hoc vitio foedius, [17]quid damnosius, quo virtus atteritur, victoria languescente sopita gloria [18]in infamiam convertitur, cum qua pariter *vires corporis expugnantur.* Et ideo dicit Basilius: Cum ventri deservimus et gutturi, pecora sumus et belluis esse similes studemus, quibus [19]prona esse et terram inspicere ac ventri obedire *natura* concessit. Boethius de consolatione libro X: Qui virtute deserta homo esse desinit, [20]*cum* in divinam conditionem transire non possit, vertitur in beluam. Quot et quanti sapientiae mirae solidique fuissent consilii, nisi [21]edacitas et vini calor fuisset [22][*et illos fecisset*] hebetes. *O quam* periculosum est patrem familias, rectoremque rei publicae mero calere, quo ira accenditur, discretio obfuscatur, luxuria excitatur in tantum ut libido nefandis se immisceat actibus hominis discretione sopita. [23]*Ovidius* ait: Vina parant animos [24]veneri, si plurima sumas. [25]Noe vero *calens* [26]*mero nu*datus filiis verenda detexit. Loth castissimus nimio vino sopitus *in montem* fugiens, carnali copula filias [27]ut uxores *cognovit.* [28]Legimus mero calentes sic ira succensos, ut cum [29]amicitia *iuncti essent in tantum, ut* [30]sobrii unus pro altero periculis se exponeret, se invicem gladiis peremisse. Herodes [31]Antipas Iohannem non [32]decollasset Baptistam, si *crapula* et ebrietas defecisset viui. Balthasar rex Babyloniae [33]vita regnoque non fuisset *privatus*, si ea nocte fuisset sobrius, *qua Cyrus et Darius* reges cum populo sopitum *crapula* occiderunt. — *Affabiles facetique sermonis decet* hospites esse [34]ad eos, quos suscipiunt. [35]*Vultus enim alacritas, blandus sermo, et benigna invitatio* famosum hospitem reddunt. [36]*Cum viarum sunt pericula ac discrimina, nescientibus iis*, qui in tuo sint hospi*tio introducti*, *per te docti diriguntur*, *ut securi sub umbra* tui culminis vivant, discedentes *sociati per te secure transeant.* Esto [37]illorum vitae ac famae defensor ut tuae. Loth enim *angelis*, *quos* [38]*esse homines peregrinos putavit*, *hospitio benigne* susceptis ab impetuosa *Sodomorum libidine*, *duabus oblatis virginibus genitoris* amorem postponens, fide sus*ceptis hospitio tanquam sub umbra sui culminis defen*sorem se praebuit. Salva sint *omnia quae tuae custodiae sunt tradita*, *nam* alienus [39]subintrans suum *facit habitaculum. Cuncta ergo, quae defert*, *tuae sint* commissa custodiae. Sint ergo sic *salva quasi domi propriae reliquisset. Teneas* tales ergo famulos, qui *non ducti avaritia bona advenientium quaerant*, *equorum annonas*

Turbidus auster misceat aestu, vitrea dandum paxque serenis, unda diebus mox resoluto sordida coeno visibus obstat, Quaeque vagatur, montibus altis, defluis annis, Saepe resistit rupe soluti obite scissi. Tu quoque si vis Cernere verum, lumine claro, Tramite recto Carpere callem, Gaudia pelle, pelle timorem, Spemque fugato, Nec dolor absit, Nubila mens est Vitaque frenis, haec ubi regnant. Et haec de medicis pigmentariis ac chirurgicis dicta sufficiant. [48] C *verbi.*

[1] E *Capitulum sextum tertii tractatus de tabernariis et hospitia tenentibus.* — Quae litteris cursivis quas dicunt dedi in C. uligine plane eluta et ex AE refecta sunt. [2] A *et super ipsum panem cyathum vini.* [3] A *collocantur.* Desunt in E *sunt positi.* [4] CE *habent.* [5] C male *horarum.* [6] EA *repraesentat manus laeva, in qua est panis et vinum. Secundum repraesentat manus extensa ad modum invitantis, quae dextra est. Tertium repraesentant claves* c. [7] deest in E. [8] AC *suffusco.* [9] *actio atque* deest in E., C *atque perp.*, in lacuna praecedente locum habet *actio*, A *invencio.* [10] deest in E., A *etiam.* [11] Luc. Bell. civ. IV, 373. [12] C *non quam.* [13] C *glorioso.* [14] Uncis inclusa desunt in C. [15] C *exequatur.* [16] *carnalis* — *Ovidius* desunt in E, restituta ex A. [17] C *inquit et dampn.* [18] A *et.* [19] A *parva.* [20] A *et.* [21] A *crapulae.* [22] in C desunt, ex A transcripsi. [23] *Ov.* deest in C. [24] A *ventri.* [25] A inserit *O pessimum genus ebrietas, propter quam perit virginitas, quae est soror angelorum, possessio omnium bonorum et aeternorum securitas gaudiorum.* C pro *Noe* habet *Nec.* [26] C deest. [27] A *tunquam.* [28] A *Legimus de duobus qui tanta amicitia erant iuncti, ut* c. [29] C *avaritia.* [30] A *cum sobrii essent, unus pro altero se periculis mortis exponerent, qui cum essent mero calidi se invicem gladio perimerent.* [31] E *Herodes Johannem non decollasset et cetera. Baldasar* c. [32] A *decollari fecisset.* [33] C *vitaque regno.* [34] A *adversus illis, quos in aede sua suscipiunt.* [35] A *Ulterius.* [36] A *in vulgari proverbio dicitur Cortexia de bocha asa vale epocho costa. Cum viae periculosae sunt ac discrimina* c. [37] A., E *ergo.* [38] E *enim* pro *esse.* [39] CE *subiunctus.*

seu pabulum equis oblatum non subtrahant, *ne equi fame lassati assessores* eorum occasione talicumque in inimicorum manus [1]*incidunt, pereant et sic tanti mali famuli* causa fiant. In Lombardiae partibus apud *Parmam civitatem receptus est hospitio nobilis cum magna* hominum comitiva. Cumque *equis prima noctis hora pabula fuissent* donata, famulus hospitis clam ante *equos pabula posita* furtive tollebat. Cum vero ad equum, cui nobilis insedere *solebat, latro venisset* manumque ad pabulum tollendum applicasset, equus ipse *furis brachium dentibus strin*gens detinuit. Cumque fur ab equo se detentum sentiret *ac prae nimio dolore clamaret*, domicelli dicti nobilis una cum hospite accurrunt, *sed nullo ingenio dictum furem de dentibus* equi extorquere potuerunt donec vicinorum [2]ad *aures huius rei negotium pervenit.* Sicque factum est, ut delatus reus ad iudicem *confessoque crimine per sententiam damnatus laqueo* vitam finiret.[3] Cum quidam *peregrinus cum eius filio iret causa devotionis ad sanctum Iacobum apostolum et apud Tolosam* in hospitio fuisset susceptus, *tunc ille hospes, cuius erat hospitium, in tanta* exarsit avaritia, ut damnum reputans pro lucro *scyphum* argenteum clam in mala suscepti hospitis collocavit ac postmodum [4]*filii. Eum insequens tanquam furem eum incepit arguere testibus curiae secum adhibitis. Cumque* ille se et patrem innocentes assereret et ad scrutandam malam fuisset processum, scyphus [5]in mala filii [6]fuit inventus [7]*et* tanquam latro peregrinus hospes damnatus suspendio. Rebus omnibus, quae peregrinis erant, [8]suscipienti hospiti applicatis, cum pater suspensi peregrini perfecisset viam inceptam in honorem Sancti Iacobi et illum redire contingeret per locum, ubi filius suspendebat patibulo, et secum pater quaereret, cur deus talia evenisse permisisset filio, statim filius pendens patrem sic allocutus dixit, se meritis beati Iacobi incolumem esse servatum. Monuit igitur patrem ut ad iudicem proper*ans* miraculum et innocentiam *recitaret.* Cumque hoc esset impletum atque filius peregrini a patibulo depositus, ventilata causa suscipientis hospitis Tolosani, facta confessione quod propter avaritiam et cupiditatem rerum habendarum peregrinum hospitem de latrocinio accusasset, ipse quo pendebat patibulo peregrinus, est appensus.

[9]In sinistra parte ante militem collocantur custodes civitatis in hac forma. Nam scachus iste formatus fuit in humana specie, habens in manu dextra claves magnas, in sinistra ulnam, in corrigia bursam apertam. Per hos intelliguntur custodes civitatis, et hoc in [10]clavibus, officiales *communitatis*, et hoc in ulna, *pedagarii* [11]seu clavarii, qui repraesentantur in bursa aperta, parati ad recipiendum, quae communi debentur. Récte enim ante militem collocantur; per milites, civitatis custodes, habent *requiri et videri, etiam* per eos habet ipsa civitas custodiri. Custodes decet esse *sollicitos, oculatos et* zelatores boni communis; sive enim pa*cis tem*pore sive bello imminente debent discurrere *civi*tatem, perquirere quae *ad munimen et securitatem* sunt [12]*et illa* rectoribus civitatis [13]*intimare*; nulli homini guerrae tempore nocturno *debent aperire. — Conscientia* in eis *sit recta et* zelum sic habeant civitatis, ut *tamen culpam livore invidiae* seu *cordis* amaritudine nulli homini imponant. Saepe enim fit, ut *videri zelatores* quidam *ament* et, ut in officiis laudati *permaneant, aliquos fraudulenter accusent. Summum* enim genus malitiae est, inde velle gloriam reportare, unde sine culpa criminis alii imponis infamiam. Sic enim custodem te praebeas, ne *apud iudices* et rectores innocentes patiantur iniuriam. Semper enim unum prae oculis *habeas*, qui omnium corda novit et ponderat. Illum enim timeas, sine cuius *custodia frustra custodiendo* civitatem invigilas. Timentibus enim beatitudo *promittitur* et eis omnia cooperantur in bonum. Imperator Fredericus secundus apud Capuam *civitatem* super pontem aquae, [14]*quae* circa ipsam defluit, portam marmoream miro opere construxit, in quo ipse imperator sedens maiestatem praetendens sculptus est. A dextris vero et a sinistris duo iudices assessores sculpti sunt, in semicirculo capitis iudicis in [15][*dextra talis est versus: Intrent securi qui quaerunt vivere puri. In semicirculo capitis iudicis*] in sinistra est hic versus: Infidus excludi timeat vel carcere cludi. In semicirculo totius portae est hic versus: Caesaris imperio regni custodia fio. In semicirculo vero super caput regis est hic: Quam [16]miseros facio quos [17]variare scio. Monere ergo [18]iudicum est, [19][*custodum vero timere, regis vero poenas proditoribus comminari ut patet*]. [20][Idem narrat Tullius lib. I. de Tuscul. operibus, quod cum [21]Diogenes amicus istius Dionysii laudaret copias eius et opes, maiestatem et rerum abundantiam aedium regiarum dicens: nunquam beatiorem aliquem fuisse Dionysio. Tunc rex fecit ipsius formam, Diogenem ex parte una et c. et sequitur] Dionysius rex Siciliae habens fratrem, [22]quem intime diligebat. Semper quocunque pergeret vultu se agebat tristis. Cumque ei in curru deambulanti [23]occurrisset, duo pauperes

---

[1] AE *incidentes.* [2] ex A, om. E. [3] In E capitulum clauditur his verbis: *Nota si vis de illo qui in itinere sancti Iacobi innocenter est suspensus.* Itaque quae sequuntur emendanda erant ex A. [4] ex A add. [5] C *autem* del. [6] *fuisse.* [7] ex A. [8] C *suscipiendi.* [9] E *Capitulum septimum tertii tractatus, de civitatis custodibus.* [10] C *clavis.* [11] A *Massarii et cantuarii.* [12] ex A add. [13] ex AE. [14] add. ex E. [15] [—] ex AE add. [16] C *multos.* [17] E *vanitate.* [18] C *iudicium.* [19] [—] ex EA add. [20] Quae inserit C *Idem — sequitur* desunt in E. Quia videntur perversa et insanabilia uncis inclusi. [21] *Damocles.* [22] pergit E: *a quo cum audisset se esse beatum maxime quia tot divitiis et honoribus et delectationibus esset refertus, rex fratrem quaesivit — obediri. Caetera obmitto propter historiae notitiam communiter pluribus generalem, in qua hic rex satis ostendit c.* [23] A *sibi occurrerunt.*



facie laeti, habitu vero despecti sibi occurrerunt. Ille statim de curru prosiliens cum omni honore et reverentia eos suscepit. At ex hoc barones non solum mirati sunt, sed etiam [1]animo conturbati. Causam tam inusitati negotii, timore retracti minime requisierunt; per fratrem tamen regis rogaverunt certiorari de causa. Cumque Dionysius a fratre suo audisset, se [2]fore beatum, maxime quia tot divitiis et honoribus et [3]delectationibus esset refertus, rex fratrem quaesivit, si suam beatitudinem experiri vellet. Ac frater regis ait: desidero et requiro. Tunc rex mandavit omnibus suis subditis, fratri suo ut sibi in omnibus obediri, et cum refectionis hora venisset et mensa esset referta epulis ac in mensa regis frater sederet, nobilissimos vero ante oculos pincernas conspiceret et [4]sonos musicos cum sua delectatione audiret, rex coepit fratrem quaerere, utrum se beatum putaret. Cui frater respondit: Et beatum me sentio, puto et experior. Tunc rex Dionysius lunatum gladium fecit portari cumque equina seta super caput fratris discumbentis fecit appendi. Cumque nec regis frater manum ad mensam porrigeret nec oculos ad servitores converteret, rex dixit ei: Cur, frater, non comedis, cum beatum te dicas et sentias? Respondit ille: beatum me non sentio cum gladium tremulum super caput meum consentio. Tunc rex aperuit, quod vultu [5]*tristi* idcirco quocunque se verteret, eo quod gladium divinae ultionis in corde conspiceret, semper [6]*esset nec ullam* materiam haberet laetitiae, ubi tantus sibi timor inesset. Pauperes vero laetos facie ideo honoraverat ex eo, quod eorum serenam et laetam conscientiam cernebat. Satis enim hic rex ostendit, non fore beatum hominem, cui timor inesset. Unde Quintilianus: Excedit omnem calamitatem, diebus ac noctibus timere. Re vera qui timetur a multis, multos timet, etenim minus quam servus dominus, qui servos timet. Tutissima res est, nihil timere praeter deum. Interdum audaces coguntur esse metu; [7]est ubi dat vires nimius timor. Timor sollicitum reddit ut, quae [8]custodiae committuntur, perquirantur ne pereant. Et nimium timidum nimiumque securum esse vitium est. — Officiales communitatis discreti sint, ne ultra quam ratio postulat, extorqueant ab ementibus vel vendentibus, communem enim personam gerunt. Idcirco communes hominibus se exhibeant. Et quia inter emtores et venditores procax lingua se miscet, omnis sit in eis diuturna patientia. Aequo enim animo honesta [9]amanti contemnendus [10]*est* ipse contemtus. Contemne ergo ineruditorum [11]contemtus. Si vis ad summa progredi, iniuria iniuste irrogata eius [12]*est* infamia, qui facit. Socratem quidam intuens procax [13]ait: O oculi corruptores puerorum. Cumque discipuli corruentes in eum inultum nollent ire illatum magistro convicium, hac sententia repressit: Quiescite, o sodales, quiescite. Etenim sum quod dicit, sed me [14]reprimendo contineo. Quodam tempore cum, infinita convicia ex superiori loco Xanthippe uxore procurante, restitisset, aqua perfusus immunda nihil amplius respondit, quam capite deterso: Sciebam, inquit, futurum ut post ista tonitrua imber sequeretur. Cede pugnanti, cedendo [15]victor abibis. Cato: Cum ratione vivas, ne cures verba malorum. Arbitrii nostri non est, quod quisque loquatur. Prosper: [16]Nunquam bella bonis, nunquam discrimina desunt. — Pedagiarii nulla pedagia extorqueant, nisi quae aut imperator aut legis conditor instituit, ne videantur potius raptores quam exactores pecuniae, ad dubios viarum transitus muniendos, quod eis ex officio incumbit et a quibus de iure [17]*exigere debent*, sine iniuria aut contumelia postulent, non affectent tantum [18]utilitatem rei publicae ut incurrant damnum conscientiae. [19]*Quia scriptum est per Isaiam prophetam*: Vae qui praedaris, nonne et ipse [20]praedaberis? — Thesaurarii seu claviarii communitatum omnium legalitatem habeant, ne prefium, quod sibi debetur, rei publicae subtrahant, [21]ne qui debent esse custodes, fiant fures. Nam nulli, [22]cui rapina feliciter cessit, gaudium [23]rapti durabit [24]*in* posterum.

[25]Ribaldos et lusores ante sinistrum rochum dicimus situatos. Ad vicarium enim regis, qui est rochus, pertinet habere homines aptos ad civitates et loca regis contraria [26]exploranda, et cursores, qui cito portent litteras et regis mandata. Sic autem fuit formatus scachus eos repraesentans: nam homo fuit habens capillos hispidos et volutos, habens in manu dextra modicam pecuniam, in sinistra vero tres taxillos, et in corda, quam habet pro cingulo, pyxidem plenam litteris. In primo repraesentantur prodigi et dilapidatores rerum suarum, in secundo dilusores et [27]meretricatores, in tertio cursores et portitores litterarum. Prodigis et dilapidatoribus debent dari curatores, ne bonis dissipatis furari cogantur. Qui enim consuevit abundare pecunia eamque prodige expendendo lascivire, cum ad mendacitatem evenerit, eum aut mendicare aut furari necesse est. Tales enim aut delicati sunt et laborare non possunt, aut nobiles sunt et mendicare erubescunt, sicque fit ut qui dilapidarunt sua propria, rapiant aliena. Magnum vitium est prodigalitas, quae etsi quam utilitatem aliis ad tempus pariat, finaliter tamen proximis fit damnosa. Hos enim Cassiodorus admonet sua servare, [28]*ne* necessitate suborta, mendicare aut furari [29]cogantur. Maior enim, inquit ipse, in conservandis quam in inveniendis adhibenda est cautela. Claudianus in maiori volumine: Potius

---

[1] C *omnino*. [2] num *ferri?* [3] C *delectionibus*. [4] A, C *sanos*, num *suaves?* [5] ex A. [6] add. *esset*, A *nec ullam*. [7] A *sed ubi sunt vires minus timor est*. [8] C *custodia*. [9] A *ementi*. [10] ex A, CE *conceptus*. [11] C *conceptus*. [12] ex AE. [13] C *ut*. Deest *o*. [14] Sic E, C *reprehendo continens*. [15] ex AE, C *victoriabis*. [16] Sic AE, C *Nulla bella hominis*. [17] ex A. [18] C *humilitatem*. [19] ex A add. [20] C *precaberis*. [21] C *neque*. [22] C *ante rapinam*. [23] C *capti*. [24] ex E. [25] E *Incipit octavum capitulum tertii tractatus De ribaldis et lusoribus et cursoribus*. [26] C *exprobanda*. [27] Sic E, A *putanerii*. C *mendicatores*. [28] *ne* ex AE. [29] C *necesse est*. EA *cogantur*.

est servasse quaesitum, quam invenisse novum. Et ideo proverbio vulgari dicitur: Qui non cavet expensam, ante mendicat quam sentiat. Cum quidam nomine Iohannes [1]Cavaza ditissimus esset nec haberet nisi duas filias, illas nuptui tradidit duobus nobilibus civitatis. Quas cum illis tradidisset, in tantum pater earum generos dilexit, ut aurum et argentum et bona temporalia succedente tempore eis partitus sit. Cumque durantibus denariis generi et mariti filiarum patri earum essent nimis curiales et benefici, ventum est tempus, quo distributis omnibus filiabus et [2]generis Iohannes Cavaza nihil haberet. Sic quoque factum est, ut qui [3]durantibus denariis videbantur grati, superveniente inedia probarentur ingrati. Cum autem pater earum prudens esset, indigentiae suae volens occurrere, mercatorem sibi notum [4]ab antiquo adiit, decem milia librarum parari ad [5]trium dierum terminum exposcit. Cumque pecuniam mutuo acceptam domum propriam deportasset, in quodam nobili et solemni festo generis et filiabus nobile paravit convivium, post quod in cubiculo clam [6]inclusus, prius tamen scrinio novo facto, cum tribus firmis clavaturis obfirmato, pecuniam sibi mutuatam de sacco super tapeta stratam effudit, ut filiae extra cubiculum positae per rimam ostii pecuniam possent conspicere. Quo facto [7]pecuniam ipsam collectam in scrinio recondere simulavit, ad mercatorem tamen eam postmodum integre reportavit. Die vero altera generi et filiae a patre interrogant, quanta esset pecunia in scrinio obstructo deposita. [8]Cumque ille fingeret XXV milia librarum, quas in deposito deposuerat, ut ex eis testamentum faceret ac relinqueret generis et filiabus, si tamen [9]secundum modum cum eo, cum filias nuptui tradiderit, [10]*constitutum* se haberent, illi hoc audito nimium [11]*gavisi* quidquid honoris tam in vestibus quam in cibis usque ad finem vitae conabantur patri servire. Appropinquante autem fine vocatis [12]generis et filiabus sic eos alloquitur: Antequam moriar non intendens facere aliud testamentum nisi quod in scrinio reliqui, statim coram me praedicatoribus et minoribus C et eremitis L librarum consignificare curetis, a quibus cum sepultus fuero claves [13]scrinii [14]*et mei* depositi repetatis. In qualibet autem clavi meum scriptum apposui in testimonium praemissorum. Unicuique autem ecclesiae aut recluso certam pecuniae quantitatem, dum lecto decumberet, donari fecit per maritos filiarum suarum. Quod fecerunt libenter spe testamenti, quod in proximo exspectabant. Cumque ille diem clausit extremum et celebratae fuissent funeris exsequiae, septimus etiam dies obitus sui solemniter fuisset expletus cum solemnitate magna, claves apud praedictos fratres depositas petierunt. Quibus acceptis, scrinium aperientes solemniter, nihil invenerunt in ipso, nisi clavam enormiter grossam et magnam, in cuius manubrio scriptum erat vulgariter: Questo si lo testamento de Iohanne Cavaza. Chi se per altro lasa, ammazato sia da questa masa, quod in latino sic est: Iohannes ego Cavaza tale condo testamentum, ut quilibet hac clava mactetur, qui se ipso neglecto alterius gerit curam. Stolidissimum opus est propria prodige expendere et aliena postmodum appetendo sperare [15]sive filii sive filiae. — Ante manum tuam [16]in dispensando [17]respicias, quam dispensando respicias alienam. Nemo bonum civem existimet eum qui multa expendit et pauca possidet. Talem in civitate existimo novitates appetere, dominia mutare, bella intestina libenter movere, [18]at contra ii, qui abundant liberis ceterisque rebus, quibus terrenos homines felices putamus, civium novitates, dominiorum mutationes et perturbationes civium [19]horrent et fugiunt. Qua propter talibus civitatis regimen amplius convenit, quibus novitates et perturbationes civium displicent, suis contentis, non [20]alieni cupidis. Prodigum autem nec bonum civem nec utilem rei publicae existimamus. Post haec [21]lusores, scortorum turpitudines insequentes, omnino peiores dicimus, quos cum ludi taxillorum calor, varietatisque libido ad pauperiem [22]traxerit, latrones et praedones fieri necesse est. Post haec omnis infidelitas, proditionis textura, ebrietatisque vitium sequitur. Hi bella sequuntur, militumque castra, non optantes tam victoriam quam praedam. Multa, [23]cum eis licet, damna inferunt et parva lucra reportant. Beatus Bernardus equo [24]insidens obviavit cuidam lusori. [25]Cui lusor ait: [26]Vellem, vir dei, ludere animam [27]*pro equo* cui [28]insides, si placeret. Respondit beatus Bernardus: Si animam mihi obligas, ego ipse de equo descendo. [29]Si plura me puncta super tribus taxillis [30]proieceris, equum sponte et grate promitto. Quo ille gaudens acceptis tribus taxillis XVIII puncta traiecit statimque lusor certus esse credens [31]*de lucro, frenum equi apprehendens suum esse equum* asseruit. Cui Bernardus: Exspecta, fili, quia plura puncta sunt iis, quae vides in illis taxillis; proiciens quoque contra eos tertius taxillus divisus est per medium, in summa parte [32]sex repraesentans [33]*in alia* unum. Sicque factum est, ut in aliis duobus [34]*taxillis* repraesentantibus duodecim et in alio septem XIX puncta, unum ultra lusorem, se proiecisse iactaret Bernardus.

---

[1] A *Canacia*, E *Cavazia*. [2] C *generibus*. [3] C *dantibus*. [4] C *adiit ab antiquo*. [5] C *tertium*. [6] Sic A. CE *incluso*. [7] C *pecunia ipsam collecta*. [8] A *Quibus ille dixit, illam pecuniam esse decem milia librarum, quas in deposito deposuerat, et nunc illam exigi, ut testamentum conderem et volo vos et filias meas in heredes instituere, si tamen secundum modum, quem vobis ordinabo, servare velitis.* [9] C *sine modo cum eo cum filias tradiderit se haberent.* [10] addidi *constitutum*. [11] add. ex AE. [12] C *generibus*. [13] In C semper formae adhibentur a *scrineum*. [14] ex AE add. [15] Sic ex coniectura. A *sive pro filio sivê pro filia*. C *sive filii sive filia*. E *sive filius sit sive filia*. [16] *in* utroque loco addidi. [17] C *respiciat*. [18] C *ac*. [19] C *marent* suprascripto primae syllabae *ca*. [20] CE *alienis*, A *aliorum bonorum*. [21] C *lusorum*. [22] C *traxit*. [23] C *tamen*. [24] C *incedens*. [25] E *Istud exemplum quaere in legenda sua*. Narratio deest. [26] C *vellet*. [27] ex A add. [28] C *incedens* [29] C *tribus* dolevi. [30] C *proiexeris*. [31] ex A add. [32] C *tres*, A *sex*. [33] ex A add. [34] ex A add.

Quod miraculum cum lusor advertisset, animam sub ipsius [1]obedientiam dedit factusque monachus laudabiliter vitam finivit. — Cursores et litterarum portitores iter coeptum expediant, [2]*ne moram* contrahentes, mittentibus eos [3]*vel* eis, ad quos mittuntur, ipsa mora inferant damnum. [4]Saepe fit ut cursor praepeditus [5]mora alius praeveniat, qui contraria [6]praeferens [7]is qui prevenire debuit [8]praetensa causa seu lucri copia, aut accipiat [9] victoriam aut interveniente pecunia lucrum in mercatura perdat. Studeant ergo cursores cum eos regni vicarii mittunt, nec se mane cibo gravare nec sero se mero replere, ne debilitatis lassati nervis [10]subsistant. — Cum autem transeundo ad civitates quaslibet pervenerunt, ne curiosi sint cetera conspicere, aut explorent, nisi forte super hoc mandatum habeant speciale. Nam ille stultus viator est, qui per amoena prata prospiciens, obliviscitur quo [11]tendat. Expeditis ergo iis, quae ad formas scachorum et ad mores ac officia eorum pertinent tam nobilium, quam popularium, de progressibus videamus.

[12]De scacherio ludo.

De scacherio locuturi sciendum, quod ipsum repraesentat civitatem illam Babylonicam, in qua ipse ludus fuit inventus ut dictum est supra cap. primo. Circa quod quatuor sunt videnda, primo quare sunt LXIIII puncta quadrata, secundo quare circumquaque labia tabularii sunt alta, tertio quare populares sunt situati ante nobiles cum tabularium est plenum, quarto quare tabulario pleno cautum est de vacuo, sicut de plano. Circa primum est sciendum, quod secundum dictum beati Ieremiae civitas Babylonia fuit amplissima, et quadrata; quodlibet autem quadrum ipsius habuit XVI milia [13]passuum in numero et mensura, quae sedecim milia in quatuor ducta crescunt in LXIIII, [14]quae mensura erat ut dicitur LXIIII miliaria more Lombardico vel leucae more Gallico. Ad repraesentandum autem hanc mensuram philosophus, inventor huius ludi, tabularium constituit, continens LXIIII quadrata puncta, quae etsi comprehensa sint interius quam exterius, [15]contra labium utrobique triginta duo. Hoc factum est ad ludi decorem [16]et ad motum seu progressum scachorum ostendendum, ut patebit inferius in sequentibus. Circa secundum est sciendum quod labia tabellarii murum dictae civitatis significant, et quia fuit altissimus, ideo et labium in altum statuitur. Dicit enim Hieronymus super illo verbo Iesaiae prophetae: Onus super montem caliginosum, quod dictum est de Babylonia, quae [17]sita fuit in Chaldaea, non autem de illa, quae fuit in Aegypto. Illa autem, quae fuit in [18]Chaldaea, licet esse in maxima planitie, erat tamen in altitudine murorum sic alta, quod prae nimia altitudine caligine continua tegebatur in tantum, quod prae caligine humanus visus ad murorum terminum altitudinis se nullatenus extendebat, et ideo mons caliginosus a Iesaia dicitur. Altitudo namque murorum eius ut dicit Hieronymus erat in mensura passuum tria milia, quae faciunt tria miliaria [19]*Lombardica*. [20]In angulo autem civitatis illius erat turris triangularis, cuius cacumen protendebatur ad mensuram passuum VII milia. Haec turris vocata est Babel. Muros vero iuxta turrem construxit quaedam mulier nomine Semiramis ut dicit Virgilius. Circa tertium est sciendum, quod populares statuuntur ante nobiles iuxta campum et ipsa quadra, primo quia populares sunt quodammodo corona nobilium. Nam dexter rochus, qui est regis vicarius, quid posset facere, nisi situatus esset ante ipsum agricola, cui cura est temporalia ad victum ministrare? Quid enim miles faceret, nisi ante se fabrum haberet, qui frena et calcaria pararet? Quid valeret sine equo miles aut iis, quae ad ornamentum pertinent? Certe nihil; quantum enim popularis et forte minus posset valere. Qualiter sine vestibus nobiles viverent, si deesset qui merces et pannos venderet aut faceret. Quid reges aut reginae aut ceteri facerent sine medicis? Gloria ergo nobilium ac vita populares sunt. Nunc ergo tu, miles aut nobilis, populares non despicias, cum eos ante nobiles in hoc ludo situatos noveris. Secunda causa est, quia populares, antequam incipiant bellare, ante vacua quadra situantur, ut ex hoc discant suis officiis et artibus interesse atque intendere. Consilia vero et civitatis regimen ac bellorum ordinem nobilibus permittant tractare. Qualiter sciat consulere popularis, qui nunquam studuit circa consilia? Quale dabit consilium, qui adhuc ignorat naturam rei, super qua consilium est habendum? Vacent ergo et intendant officiis ac ministeriis, quibus sunt apti; non quaerant interesse consiliis, nec advocationes seu coniurationes inveniant, quia per violentiam subvertuntur consilia et deficientibus sapientibus civitates detrahuntur ad ima. Plato enim tunc dixit res publicas fore beatas, cum eas aut sapientes regerent aut eorum rectores sapientiae studerent. — Prius ergo popularis discat loqui, quam in contione perorare velit. Saepe enim fit, ut qui plus quaerit esse quam sit, minus fiat quam est. — Circa quartum est sciendum, quod tabulario [21]extenso tantum est de vacuo sicut de plano, quod ideo est, quia quicunque gentem occupat ad regendum,

---

[1] C *obedientia.* [2] ex E add. [3] ex EA. *ne propter moram trahentes damnum inferant illis qui eos mittunt vel illis, quibus mittuntur.* CE *cedat in damnum.* [4] Locus desperatus, quem si quodammodo sanare volumus, sic scribamus: *Saepe fit ut cursorem praepeditum mora alius praeveniat, qui contraria prius deferens eius, qui praevenire debuit, praeostensa causa seu lucri copia, aut accipiat causae victoriam aut interveniente pecunia lucrum in mercatura perdat.* [5] AE *modica hora.* [6] E *deferens.* [7] CE *hiis,* A *illo.* [8] E *praeostensa causae.* [9] E *esse.* [10] CE *subsistent.* [11] E, C *tendit.* [12] E *Incipit quartus tractatus. De progressu et motu scacorum. Capitulum igitur primum. De scacherio in genere.* [13] delevi: *in num.* [14] E inserit: *et sic sequitur quod habebat in quatuor quadris sexaginta quatuor milia passuum in mensura.* [15] AE, C *extra.* [16] C *ad modum.* [17] C *dicta.* [18] C *Aegypto.* [19] ex E. [20] delevi: *seu ut dicit Hieronymus leucas tres in Anglia,* quae desunt in EA. [21] C *ostenso.*

conari debet ut civitates et castra et [1]possessiones occupet, quae sufficiant genti ad habitandum et excolendum. Regis sine regno nomen vacuum est et inane. Nobilitas sine moribus et rebus fatuitas potius censenda est et verecunda paupertas, quae adeo est gravior, quo est originis nobilitate quisque sublimior. Pauperem popularem nemo obiurgat iniuriis; nobilem et pauperem, nisi eum mores venustent, unus quisque fastidit. Sine rerum abundantia regna latrocinia sunt; sine potentia originis nobilitas [2]vanitas est et despectus. Et licet scacherium civitatem, quam praediximus, praefiguret, totum tamen regimen et ipsum utique mundum significat. [3]Si ab uno quadro incipientes unum numerum cuiuslibet militis ad secundum quadrum et per alium usque ad LXIIII duplicando producimus, non solum mundum ipsum aequivalens superexcrescit, sed si plures mundos natura pateretur, excresceret.

[4]Huic [5]regno mundi rex ipse dominando praesidet, et haec eius [6]motionis seu progressionis natura est. Cum enim resideat in quarto [7]quadro cum sit ipse niger, habet a dextris in albo militem; alphilem vero et rochum in nigro. In sinistra vero hi tres tenent loca opposita. Cuius ratio esse potest, quia cum gloria et corona [8]regis sint milites, eum sequuntur in sua simili residentia, quae faciunt dum dexter regi, sinister reginae sede simili sociantur. Cum vero regis vicarius sit rochus dexter, reginam in sede simili sociat, [9]*quod etiam alphilis simili modo facit. Sinister vero rochus et alphilis regem in simili sede sociant* ut hinc inde sibi oppositis regnum, quod in rege et in regina emicat, ipsis in locis ac sedibus [10]similibus ad modum coronae succinctis securius obfirment. Cum enim iudex et miles et vicarius reginae regem [11]praemuniunt, oppositi vero in regis dextra reginam custodiunt, totum regnum firmitatis, [12]convenientibus in unum qui ad consilium pertinent, robur acquirit et regni negotia securius disponuntur. Si autem unusquisque propria attenderet, non quae regno vel regi debentur defenderet vel curaret, cito fieret regni divisio et per consequens regnum perderet nomen regni et regiae dignitatis. Quia vero [13]supra omnes obtinet dignitatem et dominium ratione dignitatis, non decuit eum multo spatio a regni solio absentari; et ideo cum moveri incipit de loco suo, quadro albo, naturam sequitur rochorum a dextris et sinistris ita tamen, quod a sinistris potest se ponere in loco nigro iuxta [14]rochum situatum in albo et potest se ponere in [15]albo loco iuxta dictum rochum ad angulare quadrum, ubi situantur custodes civitatis. Et ibi habet naturam militis in tali progressu. Istos autem duos progressus sortitur vice reginae, quia cum regina et rex propter matrimonium sint una caro, ideo rex ad sinistram de loco proprio perambulat ac si ipse in quadro reginae, quod est nigrum, situatus esset. Perambulat autem in rectum ad modum rochi ad quadrum album dumtaxat, quod rochus adversarius non sit discoopertus in aliquo spatio secundae lineae. Si enim rochus albus discoopertus in secunda linea [16]fuerit, tunc rex niger ad tertiam lineam non posset transire. Sic ergo rex sortitur naturam rochorum a dextris et a sinistris ad loca militum et in rectum ad spatium album ante mercatorem. Rex etiam naturam sequitur et sortitur militum a dextris quantum ad duos progressus, quia de loco suo potest se ponere in loco fabri, qui est in nigro, et ad spatium seu quadrum nigrum sed vacuum ante lanificem [17]*seu notarium*. [18]A sinistris etiam duos habet progressus militares, quia ante medicum potest se ponere in spatio vacuo et in quadro nigro, ubi situantur tabernarii. Sic ergo quantum ad quatuor quadra rex militum naturam sortitur in progressu. Alphilis vero naturam sortitur, quantum ad duos progressus, quia a dextris potest se ponere in quadro albo et vacuo ante fabrum, a sinistris vero in quadro vacuo et albo ante tabernarium. Istos progressus habet, dum est situatus in loco proprio, habens eos in virtute antequam moveri incipiat. Postquam autem moveri incepit, non potest transire, nisi ad unum quadrum, et tunc naturam popularium in progressu sortitur. Merito ergo hanc naturam omnem rex habuit, quia cum omnis virtus, quae est in membris, sit a capite et motus totius corporis a principio vitae sit et a corde, sic et omnes subiecti regiae dignitati, quidquid habent, [19]debent cognoscere a rege se habere. Et quod alii habent per exsecutionem et continuam apparentiam ex motu et progressu eorum, rex continet ex virtute. Militum enim victoria, iudicum prudentia, vicariorum seu legatorum auctoritas, reginae continentia, popularium concordia, nonne omnia regis honori et gloriae ascribuntur? In progressu autem suo, [20]cum moveri ceperit primo, lineam tertiam ante populares sitam non excedit. A ternario autem numero omnis scachus moveri incipit, quod ternarius numerus continet partes, quae constituunt perfectum numerum, qui est senarius. Nam ternarius numerus habet unum et duo, et tria, quae simul [21]iuncta in senarium surgunt, qui est primus numerus perfectus et significat in hoc loco sex personas nominatas, quae regni perfectionem constituunt, regem, reginam, iudices, [22]*milites*, vicarios et populares. A tribus igitur numeris in suo primo motu rex incipere debuit, ut perfectionem vitae tam in se quam in aliis se habere ostenderet. Postquam autem rex moveri incepit, ducere potest secum reginam secundum modum, qui dicitur in capitulo de progressu ipsius. Nam regina sequitur regem ad duo loca angularia nigra ad modum alphilis et ad locum in directum ad modum rochi

[1] C *propossedones.* [2] C *varietas.* [3] E *sed.* [4] E *Capitulum secundum quarti tractatus. De progressu et motu regis.* [5] AE *regno mundi.* C *ergo mundo.* [6] C *vocationis.* [7] C *quadruplo.* [8] C *regni.* [9] *quod — sociant* ex AE, desunt in C. [10] deest in AE. [11] A *premunt.* [12] AE inserunt *et.* [13] A add. *rochus.* [14] C *locum.* [15] C *alto.* [16] ex E. In A desunt *Si — fuerit.* [17] ex AE. [18] C *ad sinistram.* [19] C *debent — habent.* Ex AE. [20] C *commoveri primo debet.* [21] A *inventa.* [22] Add. ex AE.



in quadro nigro ante [1]medicum. In hoc significatur, quod mulieres non possunt promittere aliqua viagia sine voluntate viri. Et si viagium aliquod mulier promiserit vivente viro, viroque contradicente, non potest votum reddere. Si vero vir [2]aliquo loco ire voluerit sine ea, ire potest, et si eam vir secum ducere voluit, eum sequi uxor tenetur. Cuius est ratio quia caput mulieris est vir, [3]et non contrario. Cum ergo quantum ad ea, quae matrimonii sunt, pares sint, quia vir potestatem non habet corporis sui sed mulier, et mulier potestatem corporis sui non habet, sed vir, si contingat hominem velle proficisci ad loca longinqua, propter matrimoniale debitum ad eadem loca potest a viro [4]requirere se velle conduci et [5]ille mulieri tenetur in tali voto servire. Et ideo cum moveri rex incipit, regina moveri potest; non autem cum ipsa movetur, semper et se ipsum moveri necesse est. Quia vero quatuor primae lineae sunt [6]intra regni spatium, ad tres primas rex in suo loco proprio situatus potest accedere. [7]Cum vero illam tertiam progredi coeperit, non nisi in uno quadro puncto potest pervenire. Nam dum est [8]intra regnum, securus rex creditur, ideoque sibi conceditur ut ad spatia [9]intra regni confinia possit progredi. Cum autem ad bellum ultra sui regni confinia exierit, uno quadro progredi sit contentus. Persona enim regis pro mille aliis computatur, et ideo cum belli periculis se exponit, eum temperate et caute progredi est necesse. Nam capto eo vel mortuo vel incluso vires omnium bellantium deficiunt [10]et ideo ipsum caute in progressu belli esse necesse est. Licet autem sic caute procedat, ut unum quadrum punctum post primum motum non possit excedere, nulla tamen lege stringitur, quin ad [11]omnem partem sive in directum procedendo sive retrocedendo, sive a dextris sive a sinistris, sive in angulis tam nigris quam et albis procedat. [12]*Nunquam tamen potest se ponere immediate in bello iuxta regem adversarium, sed in tertio semper quadro oportet eum ab adversario rege distare.* Quem progressum ideo inventum credimus, quia, licet omnibus aliis lex sit imposita in certis locis et terminis procedendi, regem tanquam dominum a tali lege congruum fuit esse immunem. Et quia reges in bello nunquam sibi ipsis appropinquare possunt, ideo ceteris captivatis nulla ipsis regibus patere potest victoria. Quomodo enim rex regno posset gaudere, si nullos subiectos sibi haberet superstites? De nobilitate regia gloriari absque subiectorum multitudine, vacuum est et ridiculum. Contingit autem regi in hoc ludo, in vehendo dici frequenter per adversarios tam nobiles quam populares: Scacha i. e. ius mihi facias. Et hoc fit nisi caterva suorum aut fortitudine [13]*aut sapientia* [14]muniatur. Quod [15]ideo fit, quia cum regis regimen aut nimium iniustum aut durum est, saepe subiecti [16]bellare desistunt, ut sic per adversarios rex amittat dominium. Saepe enim, cum necessitas imminet proelii, populus et miles a principe susceptas iniurias ad mentes reducunt et sic cum [17]intra urbem [18]vindicare super regem eas non possint, [19]occasione proelii extra [20]*urbem* ad bellum parati multi terga vertunt, ut principe solo relicto confusioni pateat, qui dura manu regebat. Cum vero per militem vel alium scachum in tali loco dicitur [21]Schah roch, tunc rex suum vicarium perdit. Fatuus enim rex est, qui ad tantum devenit, ut perdat eum, cui delegata auctoritas pertinebat. [22]Qui enim negotia regni poterit peragere, si eo privetur, qui regni totius erat provisor? Sacculum [23]portat in capite, qui captivatis civibus [24]includitur civitate. [25]*Et haec dicta de regis progressu sufficiant.*

[26]Progreditur regina de loco proprio sociata regi, quando moveri incipit, duplici natura, scilicet alphilorum, cum sit nigra, a dextris ad locum nigrum et vacuum ante lanificem seu notarium, ad sinistram vero ad locum nigrum [27]*et vacuum* ante civitatis custodes. Naturam vero rochorum ad [28]tres partes sortitur; primo a dextris ad locum nigrum, [29]*ubi collocatur alphilis dexter, secundo a sinistris, ubi collocatur miles sinister, tertio in directum ad locum nigrum* et vacuum ante medicum. Cuius causa est, quia auctoritas vicariorum, qui sunt rochi, in regina est per gratiam, unde ipsa potest multa subiectis concedere [30]generose. Alphilorum vero sapientia, cum sint iudices, in regina debet esse, ut primo in capitulo de forma reginae. Milites vero cum sint bellatores et arma portantes, regina naturam eorum in progressu non tenet, quia mulierum propter corporis scilicet fragilitatem non est proprium bellare. Postquam autem mota fuit de proprio quadro nigro, ubi primo fuit locata, non potest procedere nisi de quadro in quadrum [31]unum et hoc angulariter sive procedat, sive retrocedat, sive capiat vel capiatur. [32]Sed hic quaeritur, cur regina bellis exponatur, cum mulierum conditio debilis sit et fragilis, nisi forte dicere velimus, quod morem earum mulierum sequitur, ubi viri ad bella procedentes mulieres et uxores cum tota familia ad castra adducunt. Tartari enim hoc faciunt, et licet utantur arcu, magis possunt

---

[1] C *medium.* [2] A *ad aliquem locum ire voverit sine eius licentia, illa potest reddere et adimplere, immo si vir* c. E *aliquo ire noverit, sine ea potest reddere, immo si vir* c. [3] A *mulier autem non est caput viri.* E *viri autem caput mulier non est.* [4] C *requiri.* [5] C *illi.* [6] C *infra.* [7] A *Cum vero illa regina tertiam lineam progredi* c. [8] AC *infra.* [9] AC *infra.* [10] Sic AE, C *et ipsum.* [11] Sic AE, C *unam.* [12] *Nunquam — distare* ex AE transcripsi, desunt enim in C. A *nunquam tantum — imminente bello* c. E om. *regem.* [13] ex AE inserui. [14] A *minuatur.* [15] C *vero.* [16] C *rebellare.* [17] C *nec contra.* [18] C *iudicare.* [19] C *occasu.* [20] ex A. [21] E *Schach. mat.* A *schaco rocho.* [22] AE *quomodo.* [23] C *porta.* [24] C *cluditur.* [25] A *et omnibus suis nobilibus derelictus est.* AE *Et — sufficiant.* [26] E *Capitulum tertium quarti tractatus de progressu et motu reginae.* [27] ex AE. [28] E *duas.* [29] *ubi — nigrum* desunt in C. [30] AC, E *gratiose.* [31] C *unum tantum et.* [32] E *sed cur reg.*



hostes impedire, quam corporis virtute prosternere. In solatium tamen regis factum est et ad amoris ostensionem [1]provisum, ut regina regem ad bellum sequatur. Grandis namque est cura populo et sollicitudo de rege successore, et ideo uxorem non solum in civitatem sed etiam ad castra reges voluerunt adducere, ut per filios [2]eorum [3]*in* posterum regnum maneret in ipsis. Qualem vero sedem habet ipsa regina iuxta regis sinistram in regno, talem et continuat in bello, quia ubi nigra est, et ubique est nigra. — Casta et verecunda debet esse, et quia mulieres non debent nimis discurrere, ideo extra tertiam lineam in progressu non nisi uno quadro discurrit. Licet enim mulieres intra terminos secure sint sociatae per suos, extra terminos regionis propriae suspecte debent procedere et omnes viros suspectos habere. Nam Dina, filia Iacob patriarchae, virginitatem servavit dum in domo fratrum suorum requievit; sed statim cum curiose ad videndum alias regiones exivit, a filio Sichem corrupta fuit. Seneca dicit, quod mulieres, quae malam faciem habent, saepe impudicae sunt, non enim deest illis animus, sed corruptor. Plinius dicit, quod praeter mulieres pauca animalia coitum [4]voluere gravida. Nigram faciem ad omnem virorum aspectum debent habere, ne ab aliis sollicitatae de incontinentia diffamentur. Ovidius: Quae dant, quaeque negant, gaudent tamen esse rogatae. Ludunt formosae, casta est, quam nemo rogavit. Iuvenalis: Cognoscit mulier, quod toto fiat in orbe, Prima videt famam, rumoresque illa [5]recentes Excipit ad portam. — Fugiant ergo curiositatem et viarum [6]discursus, si castitatem servare cupiunt. [7]Et homo a mala muliere fugiat, quae est muscipula animae, latrocinium vitae, suavis mors, blanda percussio, interfectio lenis, pernicies [8]delicata, malum libens, [9]sapida iugulatio et omnium calamitas rerum. [10]*Et haec sufficiant dicta de progressu reginae.*

[11]Alphilorum vero talis est progressio: nam in sede propria ille, qui est niger, ad dextram regis collocatur, albus vero ad sinistram reginae situatur, et dicuntur albi et nigri non ex colore substantiae, sed ex situatione. Sive ergo albus sive niger sit, dum in propriis locis situati sint, possunt ad duo loca perambulare. Dexter enim, qui niger est, ad dextram pergens se in spatio vacuo et nigro ante agricolam locat, quod [12]et congruum fuit, ut iudex possessiones et laboreria [13]secundum iura sibi credita defenderet. Idem vero ipse, versus sinistram pergens ad spatium nigrum et vacuum ante medicum perambulat. [14]*Quod satis* congruum fuit, [15]quia ratione scientiae medici et iudices sunt affines, licet officio differant. [16]Sicut enim medicus habet curare corpora et ad sanitatem reducere, sic et iudices habent animosas contentiones sanare et reducere ad concordiae veritatem. Sinister vero, qui albus est, duos habet ex proprio loco progressus, unum versus dextram ad spatium album et vacuum ante mercatorem ex hoc, quia mercatores saepe indigent consiliis et lites eorum indigent per iudices terminari; alium progressum habet versus sinistram ad spatium album et vacuum ante ribaldos et lusores, et quia tales saepe rixas et quandoque furta committunt, per iudices habent puniri. Est autem sciendum, quod alphiles semper procedunt de tertio quadro in tertium, servando proprium situm in forma, ut si est niger, semper in nigro, et si est albus semper in albo. Et hoc procedendo semper in angulo. Angularis enim processus signat cautelam, quam semper in suis processibus iudices debent adhibere. Tria vero quadra repraesentant tria, quae debet iudex attendere; iustas enim causas debet fovere, recta consilia dare, causas secundum allegata de iure sententiare, nunquam a rectitudine deviare. Unde iudex aut semper albus, aut semper niger est ut alphilis. Et est sciendum, quod dexter, qui est niger, a proprio quadro, ubi iuxta regem residet, versus dextram partem procedendo, et ulterius versus sinistram declinando, deinde ad dextram redeundo versus sinistram in VI stationibus et processibus totum tabularium circulariter peragit, qui tunc in loco, in quo primo situatus fuit, se invenit collocari. [17]Eodem modo et sinister, qui est albus, procedit, quod patet inspicienti. Cuius significatio [18]accipitur, quia licet [19]omnis perfectio debeat [20]*esse* in regno, [21]summa tamen esse in illis, qui regi et regno habent consulere, debet. Nulla enim ardua et dubia debet rex [22]attentare, nisi primo iudicum consilium interveniat, et ideo perfectos necesse est esse tam scientia quam moribus. Et hoc repraesentat motus ille, quem de ternario in ternarium quadrum progredientes tenent. In senario numero, qui primus est perfectus, motum perficiunt circularem, qui motus perfectus [23]*est*, eo quod finem iungit principio. [24]*Et haec de progressu alphilorum dicta sufficiant.*

[25]Tunc autem ad militum progressum accedentes, [26]*dicamus*, quod miles sive sit dexter sive sinister; cum dexter, est albus, et sinister est niger. Motus autem eorum talis est, quia quilibet eorum hanc naturam habet, ut albus progrediatur ad nigrum quadrum, quod declinat in alphilorum quadrum, sicut patet de milite dextro, qui albus est. [27]Etiam tres progressus, in loco proprio situatus, habet, unum versus dextram in loco nigro ante agricolam, et congrue, quia, cum agricola laborat et agros colit, eum miles custodire debet, ut sibi ipsi et militi ac equis pabula colligat et ministret. Secundum [28]processum tenet movendo se

---

[1] C *primum.* [2] deest in AE. [3] ex A add. [4] A *utuntur,* E *noverunt.* [5] C *excipit rec. ad p.* Ceterum confer Ovid. Art. am. I, 345. Amor. I, 8, 43 ubi *ludite.* Iuv. VI, 408. [6] C *discrimina.* [7] In A desinit capitulum III in voce *cupiunt.* [8] C *deligata.* [9] C *sopida.* [10] Ex AE. [11] E *Capitulum quartum quarti tractatus de progressu et motu Alphilorum.* [12] C *est.* [13] C *sine una.* [14] ex AE. [15] C *qua.* [16] C *licet.* [17] C *secundo.* [18] C *aspicitur.* [19] C *hominis.* [20] ex AE. [21] C *summe.* [22] C *attendere.* [23] ex AE. [24] ex AE. [25] E *Capitulum quintum quarti tractatus. De progressu militum.* [26] ex AE. [27] ex A, CE *et.* [28] A *progressum.*



et ponendo ante lanificem in spatio nigro ac vacuo, et illum debet protegere, quia vestes et alia necessaria corpori tegimenta operatur et facit. Tertium processum habet versus sinistram in loco, ubi mercator situatur ante regem, qui locus niger est, et [1]congrue, quia miles personam regis tanquam propriam habet defendere et tueri. Cum vero primum locum versus dextram tenuerit, quatuor quadra [2]*circuit, cum vero ante regem statuitur, sex quadra* perambulare potest; cum vero ad medium tabularii [3]*decurrerit*, octo quadra perstringit. Eodem modo est de sinistro, qui secundum situm proprium niger est et semper albus fit. Et eodem modo ad bella progrediens sua virtute crescit et multiplicatur in quadris. Cum enim niger versus regem et albus versus eundem perambulant, unus ante reginam ut sinister, alius ante regem [4]*ut dexter se locat, quasi regem* et reginam ad modum coronae [5]cingunt. Cum vero ad bella descendentes et campum requirentes [6]sibi ipsi obviant, militaris virtus se in eis perfectius [7]manifestat. Miles enim cognosci non potest, cuius pugnae sit, nisi [8]cum certando virtutem monstraverit. [9]Consueverunt fortes milites et experti in principio, cum arma suscipiunt, tremere, colore pallescere, de naribus sanguis exire. Cuius signum [10]probitati potius attestatur quam vitio. Credibile namque est [11]eum, qui in principio timore concutitur, [12]cum ad bellum [13]venerit, constantius agere nec terga vertere cum ad hoc pervenerit, ubi timor mortis [14]a natura ante [15]praemissus non [16]videtur, sed bellando fortiter repercutit, quod [17]natura in [18]principio ipsi virtuti [19]irascibili ministravit. Magni enim animi est, considerato arduo periculo non cedere, sed constanter se ultro hostibus bellando offerre. Quod et milites repraesentant, cum in principio progredi non possint, nisi ad tria quadra et circa fines regis. Cum vero [20]contra fines exsiliunt, tum cordati [21]et virtute assumpta usque ad octo quadra prosiliunt ac [22]inventos hostes posternunt. Sic est de omni homine, qui de se humilia sentit; dum expositus fuerit, [23]*virtute* clarius elucescit, [24]*quia: qui enim se humiliat, exaltabitur et qui se exaltat, humiliabitur. Et sic patet, quid sit dicendum de progressu militum et dicta sufficiant.*

[25]Rochorum seu legatorum aut vicariorum progressus talis est: dexter enim est niger et sinister albus. Cum omnes scachi fuerint in locis suis propriis situati, tam nobiles quam populares, hoc attendendum est, quod tam rex quam alii nobiles, quam etiam populares habent virtualiter ut ad certos terminos possint progredi. Soli autem rochi cum sint inclusi, nullam habent virtutem progrediendi, nisi eis per nobiles aut populares via fuerit expedita, quod ideo est, quia cum ipsi sint vicarii et legati, eorum auctoritas virtutem non habet, donec eam inceperint exercere. Intra ergo regis palatium residentes legatione fungi non possunt. Statim ergo cum exierunt, uti possunt auctoritate a rege eis concessa. Eorum enim magna est auctoritas, cum personam regis gerant, et ideo vacuo tabulario exsistente, per totum tabularium quasi per regnum discurrunt, et tam in albo quam in nigro [26]uterque, sive dexter sive sinister fuerit, totum currit, si tamen vacuum tam a suis quam ab adversariis invenerit expeditum. Cum enim aliquis eorum in angulo tabularii se invenerit, ad II lineas quadrorum quantumcunque [27]extensas potest progredi et moveri. Cum vero in medio tabularii se invenerit, quatuor lineas quadrorum perambulare poterit. Et sciendum est, quod rochi nunquam progrediuntur in angulum sed semper in rectum sive antecedant sive revertantur. Omnibus enim, qui regi subditi sunt, tam bonis quam malis auctoritas vicariorum debet patere, quam sit recta et iusta. Tantae vero virtutis sunt in bello, ut ipsis solis [28]duobus liceat adversarium regem deponere, sic captum regno et vita privare. Sic factum est, ut cum Cyrus rex Persarum et Darius rex Medorum Balthasar Babyloniae regem, nepotem Evilmerodag, sub quo hic ludus inventus est, una nocte regno et vita privarent. [29]*Et haec de progressu rochorum ad praesens dicta sufficiant.*

[30]Omnium popularium unus est progressus. Nam a primo quadro, ubi situati sunt, possunt ad tertium quadrum progredi, eo quod [31]securi [32]intra regni confinia consistunt. Cum vero [33]extra regni terminos prosiliunt, uno quadro contenti semper in directum ascendunt, nunquam tamen revertuntur. In rectum ergo euntes [34]curant per virtutem acquirere, quod nobiles situati retinent in dignitate. Unde si sic per [35]*milites* et alios nobiles adiuti fuerint, quod ad lineam [36]adversorum nobilium vel quadrum perveniant, per virtutem acquirunt quod reginae de gratia est concessum. Nam si quis eorum poterit ad dictam lineam pervenire, si albus fuerit ut agricola est, lanifex, medicus et civitatis custos, reginae [37]albae dignitatem acquisitam retinent, et redeundo versus propria [38]*in primo progressu* ac in ceteris omnibus, ut dictum est in [39]*capitulo* de reginae progressu, [40]tenebunt. Si vero aliquis popularium niger fuerit,

---

[1] C *congruus.* [2] ex AE. [3] ex AE. [4] ex AE. [5] AE *cingentes sunt.* [6] C *si lupo.* [7] C *manifestant.* [8] C *concertando.* [9] *Consuev. — exire* desunt in A. [10] C *probitatis.* [11] A *cum ille, qui* c. [12] A *quodcum.* [13] C *venit.* A *accederit, debet constantius agere ne terga vertat.* [14] A *autem ante.* [15] AE *provisus.* [16] A *vertitur principaliter imminere, sed bell.* [17] A *nisi.* [18] A *in suo principio suae virtuti.* [19] E *instabili.* [20] C *extra.* [21] C *in.* [22] C *invento hostes prosternuntur.* [23] ex AE. [24] AE sic pergunt. E tamen: *qui enim se humiliat exaltabitur et cetera. Et haec de militibus sufficiant dicta.* [25] E *Capitulum sextum quarti tractatus. De progressu Rochorum.* [26] A *quilibet,* E *quibus.* [27] C *extensa.* [28] C *debeat et.* [29] E *Et — sufficiant,* idem A, omissis *ad praesens.* [30] E *Incipit septimum capitulum quarti tractatus. De progressu popularium.* [31] E *quasi intra,* A *quasi securi infra.* [32] C *infra.* [33] Sic AE, C *extra regni confinia.* [34] A *currunt.* [35] In C a tineis exesum. [36] C *adversariorum.* [37] om. AE. [38] ex AE inserui. [39] In C a tineis exesum. [40] C *tenebit.*

ut est faber ferrarius, mercator, tabernarius et ribaldus, eodem modo in directum ad lineam [1]adversorum nobilium sine damno pervenerit per virtutem, reginae nigrae dignitatem et [2]processum [3]acquirit. Est autem sciendum, quod populares ascendentes in rectum, si quem nobilem vel popularem invenerint adversarium, et [4]*hunc* in angulis, ipsum a dextris et sinistris capere et occidere [5]possunt. Cum enim tales habeantur suspecti, ne personam popularis in directum ascendentis vel [6]regem ipsius [7]velint diripere [8][vel personam eius capere,] et lex omnis velit ut vim vi repellere liceat cum moderamine inculpatae tutelae, alterum adversarium in angulo dextro tanquam personae insidiatorem, alterum in sinistro tanquam suarum rerum invasorem capere potest. [9]Ad album vero vel nigrum quadrum ascendendo in recta linea vel in angulis popularis [10]*progreditur*, nunquam autem rectam lineam dextram et sinistram seu retrocedendo progreditur. — [11]Nemo tales populares despiciat, quia tam ad imperium quam ad summum pontificatum virtutibus legimus pervenisse. Cum Gyges quidam nomine, armis et divitiis esset [12]in opulentissimo Lydiae regno inflatus animo et venisset ad hospitium Apollinis, sciscitaturus an aliquis mortalium se esset felicior, [13]ex abdito sacrorum specu vox insonuit, quae ei quendam popularem praetulit, dictum [14]Agalum Sophidium. Hic erat pauperrimus rebus, animo dives et aetate senior, qui terminos agri sui nunquam excesserat. Sic ergo [15]deus Apollo magis approbavit cum securitate Agali Sophidii [16]*rude* tugurium quam tristem curis et sollicitudinibus aulam regiam Gygis ditissimi, magis approbavit paucas glebas pavoris expertes, quam [17]*oram* Lydiae pinguissimam metu refertam. Hic pauper Agalus virtuosus et securissimus fuit. [18]Quanto enim homo est natione inferior, virtute vero superior, tanto gloriosior redditur et [19]famosior. Virgilius Mantuanus, natione humilis, sapientia maximus toto orbe terrarum inclaruit. Cum ei semel diceret quidam, quod [20]versus Homeri operi suo insereret, respondit: Magnarum virium est [21]clavam excutere de manibus Herculis. [22]*Et haec de progressu popularium sufficiant dicta.*

[23]Breviter in quantum poterimus omnia perstringentes, quae superius diximus, dicimus hunc ludum inventum esse tempore Evilmerodag, regis Babyloniae. Eum autem invenit Hyerses seu Philometro philosophus. Causa autem, quare ipsum invenit, fuit regis correctio. Haec tria patent in tribus primis capitulis primi tractatus. Cum enim rex malus esset et [24]*impius* et non posset correctorem sustinere, sed etiam correctores occideret et multos iam prudentissimos occidisset, populus, [25]*qui* multum tristabatur de mala vita regis, rogavit dictum philosophum ut regem de sua vita pessima increparet. Quod cum philosophus populo allegaret, mortem sibi imminere sine dubio, populus ait: Certe ante debes mortem eligere, quam quod fama in populo volet, quod regis vita detestabilis sit, tuo consilio maxime, cum eum increpare non audeas, ut tu dicis. Quod audiens philosophus populo promisit regem corrigere, et cogitare coepit modum, quo et mortem evaderet et populo promissum servaret. Et tunc philosophus [26]ad mentem totaliter se contulit. Scacherium cum LXIIII quadratis invenit, ut dictum est in capitulo de scacherio. Formas scachorum ad formam humanam de auro et argento composuit et formavit, [27]sicut diximus de formis scachorum in tractatu secundo et tertio. Progressum autem [28]describit et motum secundum quod dictum est in tractatu quarto. Cum autem dictus philosophus sic totum ludum ordinasset et iam coram multis in regis aula ludere incepisset, placuissetque omnibus ludus, rex supervenit, ludere desideravit, et tunc philosophus regem de ludo et progressu scachorum incepit docere, dicendo primo, [29]quod rex debet habere clementiam, [30]iustitiam, continentiam, secundum quod patet in capitulo de forma regis. Docere etiam incepit eum de forma reginae et de eius progressu dicens, quales mores debet habere regina, docere etiam [31]de alphilibus tanquam de iustis iudicibus et consiliariis, quos in regno necesse est esse. Item de militibus, quam fideles, quam sapientes et quam liberales esse debent. Item de vicariis regis et de moribus eorum sicut dictum est in praedictis capitulis de formis nobilium. [32]Docuit etiam, quo populares intendere debent artificiis suis et in eis servire nobilibus, quare etiam sunt ante nobiles situati, ut habetur in tractatu quarto, capitulo de scacherio. Cum ergo dictus philosophus sic vitam regis curialiter reprehendisset, quasi reprehendendo regem et nobiles in ipso scacherio situatos, rex a philosopho requisivit, quod sub poena capitis sibi diceret, quare hunc ludum invenisset, tunc philosophus timore coactus respondit, quomodo populo requirenti promiserat, quod regem corrigeret. Sed cum timeret mortem videns, quod ipse rex alios sapientes

---

[1] AC *adversariorum.* [2] A *progressum.* [3] E *acquiret.* [4] CE *hic,* A *hoc.* [5] Sic A, CE *potest.* [6] C *res.* [7] C *velit.* [8] *vel — capere* habet unus tantummodo C. [9] C *aliquod.* [10] deest in C. [11] A *nisi quando reginae dignitatem obtinuerit. Tunc ergo dextram lineam vel sinistram in directum semel tantum, cum primo moveri coepit, progredi potest ut prius in capitulo de progressu reginae. Et est sciendum, quod popularis, qui bellando propriam lineam reliquit et dextram vel sinistram ingreditur cum ad lineam adversorum nobilium pervenerit, si quod quadrum id ubi nobilis situatus fuerat ab ipso nobili albi vel nigri denominationem habet, sic cum ipsi albae vel nigrae reginae dignitatem et progressus obtinebit. Haec omnia patent illis, qui hunc ludum ludere inspiciunt.* [12] C *opulentissimus.* [13] AC *ex audito sacrorum,* A *speculo,* C *aspectu.* [14] C *Agalaus Sophidius,* A *Agaleus Sofidus.* [15] C *dives.* [16] ex AE. [17] ex E. [18] C *Cum — esset.* [19] C *formosior.* [20] C *usus homini operario suo infecered.* [21] C *clavem.* [22] Ex AE. [23] E *Incipit octavum capitulum quarti tractatus. Epilogus ante dictorum.* C *Benigniter.* [24] a tineis exesum. [25] ex AE. [26] ex AE. C *ad mensam totaliter contulit scacherium. cum LXIIII* c. [27] AE *secundum quod. Quod* C quoque ante rasuram habuisse videtur. [28] AE *descripsit.* [29] C *quam.* [30] C *iustissimam.* [31] C *de alphilis et iustis iud.* c. [32] *tractatu secundo,* quod habet C, delevi.



occidisset, eo quod tantae fuissent audaciae, quod ipsum increpare ausi fuissent, dixit se in anxietate positum, qualiter [1]*vitam servaret et modum curialem* correctionis regis posset invenire. Cogitatione autem maxima praecedente hunc ludum invenit, ut regis vitam meliorare posset curialiter, corrigendo vitia tertiae personae [2]formatae in ipso scacherio, ad memoriam et in [3]pu*blico add*ucendo, ut ipse rex, qui ludum discere cupiebat, *dicta* de tertia persona *tan*quam dicta sibi attenderet et sic saltem [4]vitam mutaret et [5]mores. Addidit se hunc ludum invenisse, ut nobiles et abundantes in deliciis et pace gaudentes otiositatem vitarent [6]per hunc ludum ludendo et essent attenti. Ulterius ut daret materiam meditandi multis et inveniendi varias rationes et modos tam discendi quam etiam loquendi et scribendi super eo. Rex auditis huiusmodi causis, cogitans etiam quod nobilem correctionis modum dictus philosophus invenisset, philosopho regratiando vitam et mores ad mandatum et ad modum, quem philosophus eum docere voluit, permutavit. Sic quoque factum est, ut rex qui prius erat inordinatus et impurus, iustus fieret ac coram oculis omnium in virtutibus et moribus gratiosus. Sine virtutibus vitam ducere non est [7]hominis sed beluae.

[8]Igitur ergo ad illum recurramus, qui est veritas, a quo omnis virtus manat et gratia, ut nobis, cui donavit pro [9]modo aliquid ad honorem popularium ac nobilium dicere, det gratiam in praesenti, ut in perpetuum possimus cum ipso [10]vivere et regnare, [11]a quo procedit omne datum optimum et omne donum perfectum.

Explicit liber de moribus hominum et officiis nobilium.

---

[1] *vitam — curialem* ex AE. Desunt in C. [2] C *formato.* [3] a tineis exesum. [4] E *vitia.* [5] In hac voce desinit E. Sequuntur tantummodo haec: *et ce. Anno* 1505.

Ad Lectorem.
Quam paucis rigidos possis compescere mores
Accipe: quod offert hiberna ex arce ioannes
Scacherii munus: sapiens Philometor et illud
Tradidit: ut regis babilonis crimina mergat
Hunc tibi si toties capiet te lectio frequens
Noveris et iuste que sint moderamina vite.

[6] A *propter hunc ludum et ludendo delectarentur.* [7] C *opus hominis.* A *Sine virtutibus nemo vitam humanam ducere potest, imo vitam beluae ducit.* [8] A *Et ideo.* [9] A *modulo.* [10] C *venire,* in correct. *vincere,* A *vivere.* [11] A in his desinit: *regnare, qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Deo gratias hilf god maria et c. Hunc autem libellum ad honorem et solatium nobilium et popularium et maxime ludum scientium Ego frater Iacobus de Cesulis ordinis fratrum praedicatorum exposui ut* (sic) *ad istum finem produxi donante illo, a quo procedit omne donum perfectum et omne datum optimum. Deo igitur sit omnis honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

